
INSIGNIA ACADEMIAE HARVARDIANAE CANTAB: NOV: ANGLIAE
VE RI
TAS
The Gift of
Mary Bryant Brandegee
in Memory of
William Fletcher Weld
HARVARD COLLEGE LIBRARY

DE

CHAMAELEONTIS HERACLEOTAE

VITA LIBRORUMQUE RELIQUIIS

DISPUTAVIT,

QUAESTIONEM DE RATIONE, QUAM IN ENARRANDIS POETIS SECUTUS ESSET

PERIPATETICUS,

HABUIT

ERNESTUS KOEPKE
PHIL. Dr. A. A. L. L. MAG.

MDCCCLVI.
PROSTAT BEROLINI APUD WILH. HERTZ.
(LIBR. BESSER.)

DE

CHAMAELEONTIS HERACLEOTAE

VITA LIBRORUMQUE RELIQUIIS

DISPUTAVIT,

QUAESTIONEM DE RATIONE, QUAM IN ENARRANDIS POETIS SECUTUS ESSET

PERIPATETICUS,

HABUIT

ERNESTUS KOEPKE
PHIL. Dr. A. A. L. L. MAG.

MDCCCLVI.
PROSTAT BEROLINI APUD WILH. HERTZ.
(LIBR. BESSER.)

Berolini, typis Gustavi Lange.

SODALIBUS GRAECIS

E. F. AUGUSTO. E. BONNELLIO. H. BRUGSCHIO.
O. GABLERO. A. W. HEFFTERO. F. L. KELLERO AB IBICE.
G. F. KIESSLINGIO. C. DE KOENEN. B. H. LHARDYO.
A. TWESTENIO. G. DE VIEBAHN. A. W. ZUMPTIO.

VIRIS DOCTISSIMIS ET CLARISSIMIS

HASCE PAGELLAS

IN MEMORIAM SUI

SACRAS ESSE IUBET

ERNESTUS KOEPKE.

Berolini, typis Gustavi Lange.

SODALIBUS GRAECIS

E. F. AUGUSTO. E. BONNELLIO. H. BRUGSCHIO.
O. GABLERO. A. W. HEFFTERO. F. L. KELLERO AB IBICE.
G. F. KIESSLINGIO. C. DE KOENEN. B. H. LHARDYO.
A. TWESTENIO. G. DE VIEBAHN. A. W. ZUMPTIO.

VIRIS DOCTISSIMIS ET CLARISSIMIS

HASCE PAGELLAS

IN MEMORIAM SUI

SACRAS ESSE IUBET

ERNESTUS KOEPKE.

DE CHAMAELEONTE PERIPATETICO.

Quamquam multae nec eae contemnendae ex Chamaeleontis scriptis extant reliquiae et luculenta variae eius doctrinae vestigia apud veteres inveniuntur antiquitatis interpretes: nihil tamen certi et explorati de vita Peripatetici reperitur, ita ut in vituperationem nimiae audaciae aut temeritatis apud viros doctos ne incurram vix verear, qui, quum solidam et expressam eius imaginem depingere nequeam, quae ad lacunam illam in litterarum graecarum historia explendam aliquid facere videantur coniciendo assequi coner et probabilia pro certis in medium proferre audeam.

Quum vero plerisque ubi in Chamaeleontis nomen incidimus locis et Peripateticum et Heracleotam Ponticum appellatum inveniamus scriptorem graecum (Athen. IX, 406. X, 473), disputatio nostra ab hac quaestione initium capiet, num quid ex utroque illo cognomento aut de aetate, qua vixerit Chamaeleon, aut de studiorum ratione, quam secutus sit, aut denique de toto vitae curriculo, quod sit permensus, evinci queat.

Ac primum quidem, quod qui Peripateticum vocant Chamaeleontem, ex Aristotelis disciplina profectum eum esse significant, id, nisi inde *post* Aristotelem eum vixisse conicias, ad aetatem eius accurate definiendam, vix satisfaciat. Plus vero ad temporis quo vixerit spatium circumscribendum id valet, quod inter Chamaeleontis libros unus est de voluptate, cuius auctor apud Athenaeum legitur Χαμαιλέων ἢ Θεόφραστος. Qua quidem in re recte explicanda longum est errores persequi, quos in recensione Theophrasti librorum in Diogene Laërtio duplex illa inscriptio admiserit: hoc dicam, duos eiusdem atque unius libri auctores apud veteres haud raro nominari, cuius rei exempla, ubi de libro περὶ ἡδονῆς copiosius agam, largius afferre mihi in animo est. Id quoque ex illis, quos ibi proponam, librorum titulis apparere arbitror, unam principalem esse caussam, cur duorum hominum nomina libris praescripserint veteres. Qui enim coniciet, librum ab altero conscriptum alteri eo consilio suppositum esse, ut qui legerent, subdito auctoris nomine deciperentur, eum in singulis quibusdam caussis a vero haud longe aberrare fatebimur. Nam saepius quidem factum esse apud veteres, ut, qui scholam aliquam philosophorum ex aequalium opinione prorsus deicere et deturbare studerent, vel parenti eius ac conditori vel praecipuo cuidam magistro ac principi nequissimum aliquem librum supponerent, qui eius dignitatem et existimationem plane everteret ipsumque despectum apud homines et contemptum redderet, a Luzacio, viro clarissimo, edocti sumus, qui in Lectionibus Atticis copiose ea de re disputavit. Saepius vero non ab inimicis et invidis duplex ea inscriptio profecta, sed ex errore quodam orta est, in quem docti homines aut ipsi lapsi sunt, aut quem quum ab aliis commissum suspicarentur, certe significare voluerunt. Fieri enim potuit, ut discipulus magistri nomen eo consilio praescriberet, quo facilius lectores inveniret libellus suus. Quod ubi factum esse suspicarentur, sagaces litterarum iudices, adscripto eius, quem verum libri auctorem arguerent, nomine significare solebant. Si vero malueris, nullam fraudem esse admissam a discipulo quodam, tum credendum erit in posterioribus criticis dubitationem aliquam exortam esse, num qui sub discipuli nomine venditaretur libellus, a magistro potius conscriptus esset. Qui enim iuvenili aetate conscribuntur libelli, ii maximam partem magistrorum et scribendi genus et dispu-

tandi rationem prae se ferre solent. Ab his igitur indiciis inducti addebant discipulorum scriptis magistrorum nomina, falsa fortasse sequentes vestigia, sed et liberi ipsi ac soluti ab omni fraudis suspicione, neque eius insimulantes eos auctores, quorum magistros in librorum titulis adscripserant. Ita utramcunque sequi voles coniecturam, de necessitudine quadam, quae inter magistrum et discipulum intercesserit, tibi cogitandum erit, saepiusque non adversarios sed discipulos invenies cum magistris suis coniunctos ut in ὑπομνήμασιν Ἀριστοτέλους ἢ Θεοφράστου, in διακόσμῳ Δημοκρίτου ἢ Λευκίππου, ut in magico Antisthenis vel Aristotelis: non enim video, cur Aristotelem non credamus Antisthenis senis auditorem fuisse. Non igitur praeceps et temerarius ne sim vereor, qui propter hanc quam commemoravi caussam Chamaeleontem Theophrasti fuisse discipulum coniciam. Qui si fuerit, commoratum Heracleotam Athenis credamus necesse erit, ut Theophrastum audiret de rebus philosophicis disputantem, qui post Aristotelem in Lyceo scholas aperuisset.

Quum iam propius ad aetatem Chamaeleontis accessisse videamur, altero loco de narratione erit agendum, quam Memnoni debemus, diligentissimo quod sciamus rerum Ponticarum scriptori, aequali ni vehementer fallimur et Plutarchi et Taciti, cuius de historiis nihil tamen extat, nisi quod Photius in bibliothecam suam compendio transtulit. A nono ad quartum decimum librum haud pauca in suum usum convertit Byzantinus ille vir doctus; ex ultimo vel superiore libro excerpsit, quae in cod. 224. p. 226. a. Bekk. narrat: Ἐν τούτῳ δὲ Σέλευκος Ἀφροδίσιον πέμπει, διοικητὴν εἴς τε τὰς ἐν Φρυγίᾳ πόλεις καὶ τὰς ὑπερκειμένας τοῦ Πόντου. Ὁ δὲ διαπραξάμενος ἃ ἐβούλετο καὶ ἐπανιὼν τῶν μὲν ἄλλων πόλεων ἐν ἐπαίνοις ἦν, Ἡρακλεωτῶν δὲ κατηγόρει μὴ εὐνοϊκῶς ἔχειν τοῖς τοῦ Σελεύκου πράγμασιν· ὑφ' οὗ Σέλευκος παροξυνθεὶς τούς τε πρὸς αὐτὸν ἀφικομένους πρέσβεις ἀπειλητικοῖς ἐξεφαύλιζε λόγοις καὶ κατέπληττεν, ἑνὸς τοῦ Χαμαιλέοντος οὐδὲν ὀρρωδήσαντος τὰς ἀπειλάς, ἀλλὰ φαμένου „Ἡρακλῆς κάρρων, Σέλευκε" (κάρρων δὲ ὁ ἰσχυρότερος παρὰ Δωριεῦσιν). Ὁ δ' οὖν Σέλευκος τὸ μὲν ῥηθὲν οὐ συνῆκεν, ὀργῆς δ' ὡς εἶχε, καὶ ἀπετράπετο. Τοῖς δὲ οὔτε τὸ ἀναχωρεῖν οἴκαδε οὔτε τὸ προσμένειν λυσιτελὲς ἐδόκει. Quo tempore legatio Heracleotarum ad Seleucum Nicatorem pervenerit, accuratius potest computari ex temporis ratione, quam colligas ex Memnonis narrationibus, quae quam modo protuli et sequuntur et antecedunt. Lysimachus enim mortuus est in pugna in Curupedio commissa aestate anni 281 a. Ch. Quumque Seleucus Nicator iam ineunte anno 280 in Thraciam traiecerit, nullum restat tempus nisi anni 281 finis vel anni 280 initium, quo, quum Seleucus in Asia commoraretur ut de Lysimachi hereditate statueret, legatio ea regem adire potuerit. Quae ratio constat cum ea, quam de aetate Chamaeleontis ex necessitudine eius cum Theophrasto modo subduximus. Quum enim Theophrastus Olymp. 123, 3. (anno 286) demum mortuus sit, Chamaeleon Peripateticus magno eo praeceptore sine dubio uti potuit. Quae si cogitaveris atque illud quoque addideris, studiorum rationem, quam Chamaeleon secutus esse videtur, nulla in re abhorrere ab ea, quam proximi ex Lyceo Aristotelis discipuli inierunt, legatum illum Chamaeleontem eundem fuisse atque peripateticum me non iniuria coniecisse facile assentieris. Huc iam accedit, id quod iure ex Diogenis Laërtii narratione (V, 6, 7, 92.) evinci potest, quod, quamvis multo minor, aequalis tamen Pontici Heraclidis habendus est, quippe qui quae de Homero et Hesiodo ipse docuisset, sibi furatum esse et pro suis dedisse Heraclidem vehementissime conquestus sit. Ideo quo floruit Chamaeleon annus ante Christum natum fuit tricentesimus, et, si Memnoni fides est, in voluntario vixit exilio procul a patria.

Atque ut ad ea, quae reliquit scripta transeamus, Chamaeleon de poëtis epicis Homero et Hesiodo, de lyricis Stesichoro, Alcmane, Sapphone, Anacreonte, Laso, Simonide, Pindaro, de comoedia, de Satyrico dramate, de Thespide, de Aeschylo, aut singulares libros condidisse, aut quasi praeteriens narrasse, et λόγον προτρεπτικὸν περὶ μουσικῆς composuisse videtur. Nullum igitur antiquarum litterarum locum intactum reliquit, sed studiis suis amplexus est omnem Graecorum poëticam artem, quae quibus ex originibus profecta ad summum pervenerit florem, diligentissime anquisivit doctissimeque exposuit Chamaeleon.

Quod fecisse Peripateticum nil mirandum est. Nam et aetati eum accensemus et scholae ipsi sese addixerat, quarum utraque universali cuidam doctrinae, quam πολυμαθίαν dicunt Graeci, miro quodam modo faveret. Aetas ea poëticis quidem ingeniis, quae afflatu quasi quodam divino et impetu nova fingerent ac formarent, a superiore longe est superata, sed tamen floruit ea et religiosissima in servando cura et in colligendo diligentia, quae homines illos modicis suis quidem parcisque fructibus contentos esse iussit et altiora aspirare modestos non sivit.

Semper equidem animo meo delector, quum in singulorum hominum scholarumque intueor exempla, qui quo tempore Graecae civitates corruebant earumque res paullatim collabebantur, ut bonas tamen artes servarent superiorumque hominum litteras oblivioni eriperent, summopere studebant neque antiquius quidquam habebant, quam ut praesidio quasi custodiaeque essent ingeniorum monumentis. Eam ob caussam bibliothecae condebantur, suas quisque librorum opes augere gestiebat, ut quod conservatione dignum videretur, integrum posteris posset relinquere; nova scripta ex innata quasi quadam et colligendi et conservandi cupiditate hominum prodierunt, qui rerum quas profunderent ubertate et copia legentium animos adeo ceperunt, ut vix quisquam summam laudem propter propagatam ab ipsis variam doctrinam eos meruisse deneget, et plerosque ad novorum studiorum amorem excitasse eosque ad ea quae alii docuissent retractanda meliusque adornanda provocasse, qui vel leviter eius aetatis litteras attigerit, facile consentiat. Quid inde boni hominibus exortum sit, qui irridens quaerat, is profecto de universa litterarum natura nil compertum nec cognitum habere videtur. Nobile enim illud nomen ibi inventum est doctrinae, quae quum per se ipsa ex hominum illo ferventissimo studiorum ardore quasi exorta esset, incunabulis relictis ideo cepit laetissimum incrementum, quod, quae singillatim subinde animadversae passimque a doctis inventae essent res, ad unum quasi cognitionis fontem ita revocabantur, ut quae cognationem quasi quandam inter se haberent, non solum uno philosophiae vinculo continerentur, sed etiam ad suam quaeque naturam in varios ordines digererentur. Sic alienis pro diversa sua natura semotis inter se cognatae res ex perpetuitatis lege connexae, singulas formarunt disciplinas. Qua in re praeter Stoicos plurima laus debetur Peripateticis, qui litteras sic exercebant, ut rudem indigestamque molem profundissimae doctrinae non solum undique congererent et comportarent, sed etiam res pro argumentorum generibus in diversas classes secernerent et quae aequalis essent naturae in contextum redigerent necessarium. Doctissimus ille et acutissimus magister Aristoteles iis pro exemplo erat et diligentiae et viae ac rationis, qua singula essent tractanda. Qui sicut ipse rerum naturalium investigatione observitandi suum acuerat sensum, sic etiam discipuli a physices studio proficiscebantur; illam enim rationem, qua a singularum rerum observatione et experientia incipientes ad universas probe cognoscendas ingenium colerent et conformarent, unam esse iustam et rectam, id sine dubio ne hi quidem non perspexerunt.

Sed non tam de universa aut ipsius Aristotelis aut discipulorum doctrina copiosius agere, quam — ut propius ad propositum nostrum accedamus — qua ratione quove consilio in enarrandis poëtis usi sint Peripatetici philosophi quaerere in animo est. Quod si quaestione accurate instituta liquebit, Chamaeleontem idem consilium in libris suis secutum esse patebit, quidque ad condendam litterarum historiam et ipse et Peripatetici contulerint, facile apparebit.

Plato et qui eum secuti sunt Academici in scriptis suis poëtas citabant eorumque sententias adhibebant, ut aut sua firmarent quae ad mores spectabant praecepta — id quod nunc facere consuevimus sacris nostris libris — aut eorum cogitatis pro argumentis in disputationibus uterentur, quae totae in moribus versarentur. Itaque apud eos poëtarum interpretatio plane moralis erat, neque aliud quidquam effecerunt nisi ut quae poëtae de honesto docuissent, melius intellegerentur. At ab hoc interpretandi genere nec Aristoteles nec eius discipuli abhorrebant. Fateor; sed novum aliquod assumebant, quum Platonicam rationem haud multum facere ad poëtas iuste ponderandos non

ignari, altius in eorum artem et consilia eo penetrare studerent, ut quae quomodo scripsissent ex eorum vita studiorumque ratione explicarent. Eam ob caussam Peripatetici, qui historica ratione enarrare poëtas et de eorum arte, quo modo paullatim mutata esset, docere vellent, et didascalias ex lapidibus collegerunt et poëtarum vitas libris suis persequebantur. Qua tamen in re, quum saepe parci tantummodo ex fontibus manarent nuntii, coniectandi arte utebantur historici illi philosophi ita, ut in poëtarum carminibus ipsis indicia de rebus eorum expressa sibi invenisse viderentur, quae tamen certa fide haud raro carebant. Multos inde errores exortos et in litterarum historia esse propagatos nemo nescit. Nam eorum, quae repererunt, haud exigua pars, a grammaticis recepta, in scholis tradebatur discipulis, qui quae praesentes a magistris audierant, in σχολικὰ ὑπομνήματα consignabant, unde varia labe contaminata, discerpta, confusa, quae docta et dictata essent, in scholia, qualia adhuc extant, transierunt. Altera pars, quae propter sales et facetias litterarum curiosis mirum in modum placebat, in libros congerebatur, quos de multis multorum facete dictis composuerunt ex philosophorum et grammaticorum commentariis homines quidam litterati. Scatebant enim ἀποφθεγμάτων quae vocantur libri narratiunculis, quas undecunque decerptas omni fide ideo caruisse arbitror, quum vel perverse intellectae vel nullis argumentis firmatae aut probatae ex nescio quarum rerum contextu abscissae et evulsae videantur. Nam insolentissimarum rerum farraginem nugatorio quodam studio sine ullo suo sumtu atque negotio venabantur homines sine ulla bona arte, sine ingenio, sine elegantia, ut eorum qui legerent otium futilibus suis narrationibus nugisque fallerent. Neque enim id spectabant, ut pro virili sua parte litteras religiose adiuvarent. Quod consilium si tamen eos secutos esse malueris: de nobilissimorum ingeniorum honore eos, quia ex adversaria schola prodiissent, ob pravum suae sectae studium detraxisse putes necesse erit. Ex eiusmodi commentariis eos antiquitatum curiosos, qui ostiatim prope stipem frustaque mendicarentur, sua hausisse credendum est, Diogenem Laërtium, Athenaeum, Aelianum, Flavium Philostratum, Favorinum, ceteros.

Quaerentibus nobis de ratione, quae philosophis intercesserit cum poëtis, ab initio disputationis nostrae id praecavendum videtur, ne quis de natura et ratione aut de praeceptis artis, quae apud philosophos inveniantur, nos disputaturos esse exspectet. Has quaestiones hoc loco non tangemus; hoc tantum explicare mihi est propositum, qua ratione philosophi poëtarum mentionem iniecerint, et quomodo eorum sententias aut adhibuerint aut enarraverint. Qua ex re facile aut patere aut conici posse arbitror, quam viam in tractandis argumentis ingressus sit Chamaeleon.

Ac primum quidem omnium philosophorum veterum quod sciam proprium est et commune, ut in disputationibus suis, quo vividior fieret sermonis color, ex poëtarum sermone multa, sive sua sponte in memoriam ea revocantes sive inscii iis utentes, mutuati sint. His de doctrinae significationibus, quae in illis ex studiis suis apparuerunt, hoc loco copiosius non erit dicendum; sunt enim casui obnoxiae et pendent magis ex singulari scriptoris doctrina, quam ex scholae alicuius praeceptis, magisque inveniuntur apud eos, quibus a natura cognatio quaedam cum poëtis inest, quam in illis philosophis, quorum ieiuna et arida mens poëtarum flosculos respuit. Poëticum illud philosophorum dicendi genus artissime cohaeret cum ea, quae apud veteres fuit, educatione iisque ex studiis profectum est, quae ab ediscendis Homeri carminibus eodem modo inceperunt, quo nostra institutio sacris libris legendis fixa et fundata est. Quum enim in puerili institutione discipuli omnia et virtutis et prudentiae exempla, omnia vitae praecepta, omnes quae tristes hominum animos exhilararent et consolarentur cogitationes de Deorum cum hominibus vel hominum inter se usu et consuetudine ex Homero iuberentur et legere et tenere, qui omnium poëtarum maxime imagines Graecorum hominum menti informatas suo ingenio suaque arte non solum adumbrare verbis sed plane exprimere scisset: nil mirum, quod vel nobilissimi Graecorum scriptores ab hoc quasi humanitatis fundamento non solum nusquam recesserunt, sed aliorum etiam poëtarum cogi-

tandi rationem et dicendi genus prope inscii eo magis memoriae suae infixerunt, quo propius illi ad Homeri ingenium moresque accesserunt. Hoc inprimis obvenit Hesiodo et Pindaro et Aeschylo et Sophocli. In eorum igitur vestigia, si quis in philosophorum libris quaesiverit, facile incidet eaque sine magno suo negotio indagabit et odorabitur.

Quoniam pauca de ratione dixi magis externa, quae omnibus philosophis est cum poëtis potissimumque cernitur in eorum scribendi arte et in dicendi genere, de altera nunc erit disputandum, quae non tam late patet, neque ad omnes pari modo pertinet scholas vel scriptores, sed quae, quum adversarii ii sint interque se saepe pugnent, varia singulorum est atque diversa. Ea enim, quam nunc dico, ratio magis interna est; versatur enim in ipsis imaginibus, quas de moribus et ingeniis hominum conçeperunt poëtae; cernitur in quaestionibus, utrum recte illi an falso praeceperint, utrum probe an perverse cogitaverint. Agitur igitur de poëtarum sententiis quantopere cum philosophorum doctrina consentiant aut ab eorum praeceptis dissentiant.

Platoni igitur et eius opinor discipulis poëtae nisi morum praeceptores non erant; hanc laudem eo certe tempore integram illi tuebantur, mox desierunt. Ea igitur hominum opinio in tantam gloriae altitudinem poëtas extulit, quantam alius quisquam vix assequi posset. Iam enim eo, quod divino spiritu abrepti atque ipsi, divinae suae artis prope ignari, animorum inflammatione et afflatu quasi quodam furoris concitati carmina sua effundere credebantur (Plat. in Apol. p. 22. Ion. p. 533 sq. Menon. p. 99. de Legg. IV. p. 719. Phaedr. p. 263. Aeschin. Socr. 1, 13. Democr. apud Cic. de Or. II, 46, 194. de Div. I, 37, 80): eo igitur supra profanum hominum vulgus ad coelum extollebantur poëtae. Qua ex existimatione quum illud prodiit discrimen, quod apud Platonem est in Rep. II. p. 364, ubi εἶδος λόγων περὶ δικαιοσύνης τε καὶ ἀδικίας ἰδίᾳ τε λεγόμενον καὶ ὑπὸ ποιητῶν distinxisse videtur, tum ea opinio, poëtas esse Deorum filios, quam et in Menex. p. 81. B. (πολλοὶ τῶν ποιητῶν ὅσοι θεῖοί εἰσιν) et in libro de Rep. II. p. 366. copiosius proposuit Plato. In egregii enim huius libri voluminibus secundo et tertio philosophus, qui locus assignandus sit poëtis docet in ea, quam perfectissimam adumbravit, civitatis specie. Nam civitas illa, quam quasi seminarium esse voluit Plato praestantissimorum hominum, qui quae ex morum integritate et ex corporis sanitate mentisque firmitate enascerentur, egregias virtutes in vitae communis usu probarent: civitas igitur illa paullatim aucta et amplificata artificibus quoque opus habere videbatur, qui quum aliis hominum necessitatibus satisfacerent, tum musicam quam dicit Plato institutionem et educationem eorum, qui adulta aetate custodiae Urbis praeficerentur, in se susciperent. Ubi vero ille de artificibus sermo est iniectus, etiam de poëtis agit philosophus, quos omnibus orationis aculeis et prope molesta iudicii acerbitate ita perstringit, ut ad id munus minime apti videantur neque digni, quibus ea cura demandetur. Non perverse aut inconsiderate Platonem quum hoc loco tum in libr. de Rep. X. p. 595. de Legg. III. p. 682. IV. p. 776. in Philebo p. 62, Phaed. p. 95. Theaet. p. 152. de poëtis iudicare, putabit is, qui non universe de eorum arte quaesierit sed qui angustiore studio, quales vates illi divini descripserint mores, cum Platone persequitur, et in aestimandis poëtis totus haeret in morali philosophiae parte. Quod facere profecto eum oportebit, qui non artem spectat sed iuvenilem institutionem eiusque subsidia; ei in quaestione de poëtis recte adhibendis is optimus et aptissimus videbitur, qui gravissimus sit ad omnem morum honestatem perficiendam et absolvendam. Iudicii igitur severi aliqua specie explodit Plato Homerum Hesiodum tragicos, quippe qui Deos depinxerint obnoxios humanis cupiditatibus animique perturbationibus; eos enim et in carminibus et in tragoediis inter se hostiliter, in homines pro sua libidine inique et iniuste agere, ut fallant homines et decipiant, alias induere personas; quae omnia tertii libri initio brevi ita complectitur Plato, ut poëtas dicat modo pueros docere parentibus dicto non audientes esse omnemque pietatem et pudorem exuere, modo cives seditiones movere et iniurias exercere. Tum obicitur poëtis, quod suis de pessima inferorum condicione narrationibus mortem reformidantes reddunt

homines, quod clarorum virorum lamentationibus et commiseratione animos studiose legentium frangunt et emolliunt, quod denique imaginibus suis mores adolescentium depravant et dissolvunt. Quae omnia quum obliteranda et delenda censeat Plato, ita facit, οὐχ ὡς οὐ ποιητικὰ καὶ ἡδέα τοῖς πολλοῖς ἀκούειν, ἀλλ' ὅσῳ ποιητικώτερα τοσούτῳ ἧττον ἀκουστέον παισὶ καὶ ἀνδράσιν, p. 387. B. Praeter ea, quae expungi iussit Plato, cetera in poëtis non modo vituperatione carent, sed laudantur etiam velut ea quae de continentia praecipiunt poëtae in conviviis et in rebus venereis probanda. Quam vero censuram agit severissimam de locis quibusdam carminum, eandem exercet in generibus poëticis aut commendandis aut reiciendis; et ad publicam adolescentium educationem respiciens libentius eam amplectitur artem, quae tota in narrationibus versatur, quam quae per imitationem actionis fiat; imitatione enim, quae ex pueris exerceatur, mores quasi infici erroribus et propriam naturam non quidem furca sed blandis alienae mentis cogitationibus si non prorsus expelli, at huc et illuc torqueri et flecti (de rep. III. p. 395. ἢ οὐκ ᾔσθησαι ὅτι αἱ μιμήσεις, ἐὰν ἐκ νέων πόρρω διατελέσωσιν, εἰς ἔθη τε καὶ φύσιν καθίστανται καὶ κατὰ σῶμα καὶ φωνὰς καὶ κατὰ τὴν διάνοιαν;). Eam ob caussam tragici et comici poëtae ex ficta illa civitate eiciuntur, et quos strenuos viros ac probos fieri desideramus, iis permittere vetamur imitationes mulierum vel iuvenum, qui vel secundis vel adversis rebus facillime a moderatione et temperantia avertantur. Eodem iudicio quod in artificiis nihil spectat nisi honestum, Plato utitur et in modis recensendis, ex quibus nisi Doricos et Phrygicos modos in educandis adulescentibus nullos admittit, et in musicis instrumentis aestimandis, ex quibus lyram tantummodo et citharam aptos esse censet ad custodes urbis probe instituendos. Omnia, quae ad inertiam et mollitiem usque animos adulescentium laxare et frangere possunt, iure, ut opinor, repudiantur et reiciuntur (de Rep. X. p. 605—608).

Quae modo a Platone, divino illo philosopho, docti proposuimus, ea nullo alio moti consilio congessimus, nisi ut Platonem in iudicandis scriptoribus non artes sed honestatis rationem habuisse, eamque ob caussam poëtas aut bene moratos homines depingere aut omnino nullos eum iussisse doceamus (cf. de Rep. III. p. 401). Hanc suam sententiam idem in aliis sermonibus protulit, ubi de poëtarum carminibus agit. Locis, quos ex iis deprompsit, Plato pro argumentis utitur, de quibus quaerat, utrum recte an falso de virtutibus, aut honeste an inhoneste de officiis hominum cogitaverint poëtae.

Totus igitur in iudicio de poëtarum honestate occupatus est quum in Simonideo illo ὅτι τὸ τὰ ὀφειλόμενα ἑκάστῳ ἀποδιδόναι δίκαιόν ἐστιν (de Rep. I, p. 331.), tum in Pindaro (Menex. p. 81. a. b. Rep. I. p. 331.) et in Euripideo illo σοφοὶ τύραννοι τῶν σοφῶν συνουσίᾳ (Theag. p. 125. Rep. VIII. p. 568.) Theognidem sibi non constitisse demonstrat in Menone p. 95. d. seq., et de Simonidei carminis non arte sed sapientia disputantem facit Protagoram in illo sermone, qui ab eo nominatus est. Quae exempla qui voluerit facile augebit; equidem satis esse ea arbitror ad demonstrandum, Platonem poëtarum locos non adhibuisse nisi in morali philosophiae parte. Qui autem Sophistas quoque idem consilium esse secutos ex Protagorae disputatione iure sibi coniecisse videbitur, is me repugnantem scito se non habiturum esse, modo consentiat, Socratem apud Platonem in poëtis nihil aliud quaesisse, nisi qua ratione versati essent in definiendo eo quod esset honestum, ita ut in hac quoque poëtica eius philosophiae parte valeat Xenophonteum illud Τῶν δὲ Σωκράτην γιγνωσκόντων, οἷος ἦν, οἱ ἀρετῆς ἐφιέμενοι πάντες ἔτι καὶ νῦν διετελοῦσι πάντων μάλιστα ποθοῦντες ἐκεῖνον, ὡς ὠφελιμώτατον ὄντα πρὸς ἀρετῆς ἐπιμέλειαν. (Mem. IV. 8, 11.)

Num ceteri Socratici, quicunque de poëtis et de poësi scripserunt, Critonem dico de arte poëtica (Diog. L. 2, 13, 3.), Simonem de poëtis (D. L. 2, 14, 2.), et si Nic. Bachio pag. 99 fides est, Critiam disputantes idem consilium secuti sint, pro certo evinci nequit, quum neque integer eorum ullus extet libellus et ex eorum reliquiis paucissimis pauca tantummodo coniectari queant. Credendum vero est historicarum quaestionum nihil in iis fuisse. Eas enim omnium primus instituit Aristoteles.

Atque si numerum spectas plures apud Aristotelem laudantur poëtae, quam apud Platonem; quod quidem non miramur, quum Aristoteles et iis uti posset, qui Platonis fuerant aequales, et iis, qui sua aetate vivebant. Eorum ratio adhibendorum a Platonica non diversa erat in moralibus Aristotelis scriptis, in Ethicis Nicomacheis, in Magnis quae dicuntur Moralibus, in Eudemi Ethicis, in Politicis, in Oeconomicis, quibus in scriptis tanquam testes citantur poëtae, qui suo testimonio praeceptum aliquod honestatis verum esse comprobent. Ita praeter Homeri Odysseam et Iliadem Margitem habemus (Eth. Nic. 6, 7. Eudem. 5, 7.); in inscriptionem templi quod Deli est (Eth. Nic. 1, 9. Eudem. 1, 1.), in proverbia incidimus. Saepe legimus Euripidem laudatum, et Hesiodum, Theognidem, Solonem; Anaxandridem invenimus (Eth. Nic. 7. 11. Eudem. 6, 10.), et Euenum (Eth. Nic. 7. 11. Eud. 6, 10.) saepiusque Agathonem (Eth. Nic. 6, 2, 4. Eud. 3, 1. 5, 2. 4). Omnes ii suis carminibus eas probare et firmare iubentur sententias, quas in libris suis philosophus proposuit. Aliis locis poëtae non ad firmandam aliquam sententiam adhibentur, sed ut iudicium habeatur de iis, num de hominum officiis recte cecinerint, ita Euripides in Pol. 2, 4. et Eth. Nic. 5, 11 inducitur ut ἀτόπως λέγων. Ubi vero argumenta tractavit Aristoteles, quae philosophi ante eum intacta reliquerant, plane nova, ibi laudandi modus alius sit oportet atque in superioribus. In iis enim, quae de arte oratoria composuit libris, et in scriptiuncula de arte poëtica eorundem quidem quos supra dixi poëtarum affert versus, sed in II. libro rhetoric. Theodecten addit Phaselitam, qui idem in Politicis 1, 6 laudatur; in libro de arte poëtica exemplis fere abundat quum vetustioribus tum recentioribus, habes enim ibi praeter alios et Chaeremonem, et dithyramborum poëtas, et Polyidum et Carcinum; frequens est in laudando Theodecte, cuius Tydeo et Lynceo pro exemplis utitur in quaestione de generibus poëticis, et ad demonstrandum qua arte in carminibus suis illas difficultates vel evitaverint, vel omnino sustulerint poëtae, quas ad artis rationem et intelligentiam exquirit philosophus.

Hisce in libris Aristoteles poëtis usus est pro exemplis, quibus artis praecepta probaret, neque aliud quidqam interpretatione sua spectavit, nisi ut eorum carmina ad primas artis regulas revocaret. Hanc adhibendorum exemplorum rationem a Platonica illa discrepare planeque novam esse, nemo est quin videat; nemo quin intellegat eam esse efflagitatam litteris adeo auctis et amplificatis. Poëtae enim, qui usque eo non aestimabantur nisi ex honesto, quod docerent, tum ex pulchri sensu atque elegantia iudicari coepti sunt, quam in carminibus ostendissent; hac una re Aristoteles propius ad litterarum historiam condendam accessisse videtur quam superiores philosophi, quum ea nulla artis habita ratione ne cogitari quidem possit.

At plus etiam ad studium historiae litterarum discipulis commendandum contulit Aristoteles libro de poëtis, qui tribus voluminibus continebatur (Diog. L. 5, 12, 22.). Id sane ex reliquiis cognoscitur, quas genuinas esse et vere ab Aristotele profectas, quamvis Nitzschius aliter de iis statuerit (Hist. Hom. II. p. 37 sq.), persuasum habeo. Quo in libro magnus poëtarum numerus nominatus erat, qui qua lege digesti fuerint, vix evinci potest, quum de duabus tantummodo libri partibus unde profectae sint constet; nam alteram partem, quae legitur apud Macrob. V, 18, ex secundo libro, alteram, quae est apud Diog. Laert. 2, 46, ex primo depromptam esse pro certo affirmatur; in ceteris libri reliquiis aut omnino non constat unde fluxerint, aut ut apud Plut. in vit. Hom. 3 ex diversis codicibus diverse narratur, ita ut nimis velox esse videatur, qui ex tam parva significatione de singulorum librorum argumentis aliqua cum fide iudicare velit. Videtur tamen Aristoteles ad temporis rationem poëtarum vitas revocasse. Quomodo vero singulos tractaverit, ex illis quasi libri frustis, quae Plutarchus et Macrobius servarunt, intelligi potest. Aristotelem igitur vitas enarrasse credendum est, acerrimum sane in fabulosis et monstrosis repudiandis et refellendis, nam ex eo, qui in Homeri vita legitur, loco nemo prudens Aristotelem a critica arte abhorruisse recte iudicasse sibi videbitur; tantum statuendum erit, Plutarchum neglexisse neque in sua trans-

tulisse, quas Aristotelem addidisse credamus oportet subtiles quaestiones et acutas, qui alibi fabulosa et ficta a veris probatisque discernere soleat. Quam alte in libros scriptorum a se laudatorum Aristoteles penetraverit, id, ni fallor, ex Macrobio coniectura elici potest. Ibi enim Aristoteles Euripidem reprehendit, quod in Meleagro fabula Aetolos laevo pede nudos in pugnam iisse fecerit, quum dextrum pedem incalceatum habuissent (τοὺς δὲ Θεστίου κούρους τὸν μὲν ἀριστερὸν πόδα φησὶν Εὐριπίδης ἐλθεῖν ἔχοντας ἀνυπόδετον λ.). Qua ratione haec horumque similia cum ceteris connexa fuerint, si quis quaerat, ei nos nescire ingenue fatebimur. Sed fieri potuit, ut eos locos, in quibus Aristoteles poëtam aut laudandum aut vituperandum esse censeret, quodammodo ad vitam poëtae pertinere et ad Euripidis peregrinationes merito referri posse reperiret. Hoc certe posteriores faciebant philosophi, qui ex poëtarum locis vitas eorum componere posse sibi viderentur, qua in re de Sophoclis amoribus cogito vel de binis Socratis nuptiis, quas ex obscuris locis et male intellectis expiscati sunt homunciones isti.

Neque aliis Aristotelis scriptis, quae in Diogene Laërtio enumerantur, V, 12, 22 sq. argumenta inerant, quae ad litterarum studia non spectarent. De προβλήμασιν eius et λύσεσι conferas quaeso Topic. 1, 10. 11, 4. Anal. pr. 1, 1. Analyt. post. 2, 1; de libris collectarum narratiuncularum, quae ad vitas scriptorum spectarent, adi Iulii Richteri scriptionem de Aeschyli c. interpretibus graecis pag. 39. sq., qui ubi de recensione agit, quam Aristoteles de Dionysiacis victoribus instituit, simili in argumento iam ante eum non nullos versatos esse docere debebat, velut Hippiam Sophistam Eleensem, qui Olympiae victores recensuit; non enim absonum videtur, Aristotelem eius consilium in suo libro esse secutum eandemque, quam superiores quidam, in colligendis et digerendis rationem ac viam esse ingressum. De argumentis reliquarum scriptionum, quae quidem huc referendae esse videntur, nihil constat nisi quod ex titulis conici potest. Sunt enim πραγματεία τέχνης ποιητικῆς ά. Ἀπορημάτων Ὁμηρικῶν ά—ϛ'. (Phryn. pag. 225 Lob. Wolf. proleg. pag. 184. Lehrs Aristarch. p. 227.) Ἀπορημάτων Ἡσιόδου ά (Vit. Arist. incerti auct. apud Menag. p. 610 Hübn. Mützell pag. 280). Ἀπορήματα Ἀρχιλόχου, Εὐριπίδους, Χοιρίλου γ'. Ἀπορημάτων ποιητικῶν ά. Ποιητικὰ ά. Περὶ τραγῳδιῶν ά. Qua igitur ratione in libris illis philosophus poëtarum sententias tractaverit, utrum bona vel mala ea esse, quae poëtae dixissent, quaesiverit an de vitis eorum narraverit, vel ex versibus eas, de quibus parum constaret, res coniectura assecutus sit, nemo unquam aut docere aut discernere poterit.

In eo autem opinor non errabit si quis praeceptoris rationem in tractandis poëtarum locis discipulos esse secutos pro certo affirmabit. Quod profecto de Aristoxeno musico est statuendum. Is enim in eo libro, quo accuratam plurimarum rerum scientiam comprehendisse videtur, in βίοις ἀνδρῶν (Plut. Non posse suav. X. p. 497. Reisk. cf. me: Quid et qua rat. c. p. 8.) et potissimum in ea eius parte, quae erat περὶ τραγῳδοποιῶν, praeter narrationes de poëtarum vitis (Vit. Soph. Stahr Arist. II. pag. 41.), si reliquias recte interpretor, aetatem et nonnullorum poëtarum et singularum eorum fabularum ex dicendi genere et ex verborum usu definiit et circumscripsit. (Ammon s. v. ῥύεσθαι.) Incertum quidem sed verisimile est, eadem ratione in tractandis poëtarum sententiis usum esse Heraclidem Ponticum, ex cuius libris de litteris egisse videntur περὶ τῆς Ἡσιόδου ἡλικίας ά. β'. Περὶ Ἀρχιλόχου καὶ Ὁμήρου. Περὶ τῶν τριῶν τραγῳδοποιῶν ά. Περὶ ποιητικῆς καὶ τῶν ποιητῶν. Περὶ τῶν παρ' Εὐριπίδῃ καὶ Σοφοκλεῖ ά. β' γ'. Λύσεις. (cf. Deswert. pag. 110 sqq.) De libro eius περὶ βίων hic non cogito propter ea, quae docui in quaestione: quid et qua rat. c. p. 5. Theophrasti Eresii laudantur libri περὶ Αἰσχύλου. (Diog. L. 5, 2, 13, 50.) περὶ ποιητικῆς ά. περὶ ποιητικῆς ἄλλο ά. (Diog. d. l. I. No. 48.), in quibus quo modo de poëtis egerit diiudicari nequit.

Dicaearchi Messenii rationem, qua poëtas tractaverit, reliquiae libri περὶ Ἀλκαίου ostendunt. Hic enim liber solus respiciendus est, si de Dicaearchi tractatione litterarum quaeritur, quum liber eius περὶ βίων, quem laudat Diogenes L. III, 4. iis non adnumerandus sit scriptis, quorum

argumenta aliquid ad litterarum historiam condendam fecerunt. Quod quamquam ipsi docuimus in quaestione: quid et qua rat. p. c. 5 sq., quum libros, quibus hic esset titulus, de victu vivendique ratione agere diceremus, Müllerum tamen in Hist. Graec. fragm. II, p. 243 cum temeritate aliqua scripsisse ἐν πρώτῳ βίων miramur, neque enim βίοι Dicaearchi liber usquam inscriptus legitur et quod Platonem narravit in Isthmo certasse, id ideo fecit Messenius, ut frequentem palaestrae usum iis, qui bene vivere cuperent, philosophi exemplo commendaret. Magis etiam miramur, eundem Müllerum plane novum Dicaearchi librum condidisse, qui βίοι φιλοσόφων inscriptus Platonis, septem sapientium virorum, Pythagorae, Xenophontis, Homeri vitas continuisset. Is nullus unquam exstitit. Quas enim reliquias sub ficto illo titulo congessit Müllerus, eas sine ulla libri significatione apud veteres scriptores invenit, mero Dicaearchi nomine ut auctoris adscripto vel voce φησὶν addita. Aliis igitur libris, quos vere extitisse veteres sunt testes, assignandae sunt illae reliquiae; et si quis eas ad illum librum, qui, a veteribus frequentissime lectus, Βίος Ἑλλάδος inscriptus erat, referre velet, id facile patiar. Fortasse non aliter statuendum erit de libro ὑποθέσεις τῶν Σοφοκλέους καὶ Εὐριπίδου μύθων, de quo Sextus Empiricus adv. Math. III, p. 84. cogitasse videtur Müllero; quas enim huic titulo supposuit reliquias vir doctus, eas ad Dicaearchi librum περὶ Διονυσιακῶν ἀγώνων, qui veterum testimoniis melius firmatus est, iustius referendas esse equidem censeo; quam enim interpretationem Müllerus adhibet Sextiano illi loco, ea nimis quaesita est et simplicitate caret. Itaque, quod iam supra significavimus, unus ille liber περὶ Ἀλκαίου indubitatus restat, Athenaei testimonio satis firmatus. Dicaearchi rationem, quam is in enarrandis poëtarum locis secutus est, Chamaeleontem amplexum esse postea videbimus. Uberior est Dicaearchus in rebus explicandis, quas poëta in carminibus suis attigit, copiosior in narratione de cottabi ludi et in eorum nominum explicatione, quibus colludentes utuntur; de poculis luculenter agebat, quorum Alcaeus mentionem facere potuit nec a censura videtur abstinuisse lectionum, quae in variis Alcaei exemplis venditarentur. De morum honestate, quantum videmus, non quaerit Peripateticus.

Scripsit περὶ ποιητῶν librum ex Aristotelis disciplina profectus **Phanias** quoque Eresius, cuius alterum volumen ab Athenaeo laudatum est VIII. pag. 352. c. A superioribus ille una in re recessisse videtur, quum de poëtis adeo tantum ageret, ut quas res novas ii reperissent quibusque inventis ab aliis, qui eandem professi essent artem, discreparent, legentes doceret. Qua quidem in re minus uber et copiosus superioribus fuit, quod ex reliquiis conicere liceat; breviter res tangebat, quas poëtarum vitis inserebat; temporis rationem religiose habebat (Clem. Alex. 1, 21. p. 144). De Socraticis quoque Phanias singularem librum composuit, cuius argumentum de narratiunculis desumpsit, quae in ore vulgi circumferebantur, et ex eorum inventis ac praeceptis, de quibus curiosius quam studiosius eum egisse credibile est, quaedam descripsit et delibavit.

Clearchi quoque Solensis cognoscere rationem ad nostram quaestionem pertinet. Octo eius libros περὶ βίων ad litteras non spectare ipsi iam prius docuimus. (Quid et q. c. p. 7.) Falsus igitur est Müllerus, qui inscriptos eos fuisse Βίους affirmat; melius edoctus erat, si aut Athenaeum XII. p. 515. e. XV. p. 687. a. et Zenobium in prov. III, 41. secutus esset aut reliquias accuratius et consideratius inter se contulisset; περὶ βίων enim inscribendi sunt libri, qui de victu vivendique ratione cum universorum populorum tum singulorum hominum agunt. Plane novus autem videtur Clearchus in libro de aenigmatis, quae, quoniam qualia essent probe quaesivit, pro eorum natura et ingenio in genera divisit et generatim percensuit. Qua quidem re Graecos valde delectabat, qui iam ex remotissimis temporibus obscurum et captiosum dicendi genus, quod animos attentos teneret mentemque perpetua cogitatione occuparet, adeo adamabant, ut vel Diis, quorum oracula haud ita facile dissolvenda esse volebant, dignum id haberent. Ea igitur voluptas, quam ex ingenii lusibus capiebant veteres, iam centum fere annis ante Clearchum quum Cleobulum adduxerat, ut γρίφους excogitaret, quibus, quamvis genuini num fuerint iure dubitarent veteres (Diog. L. 1, 6, 2.), posteri

etiam delectabantur, tum tragicos comicosque permoverat, ut argutiis illis poëticam suam orationem distinguerent et illuminarent (cf. Th. Bergk. de relq. Com. att. ant. p. 117 sq.). De hisce lusibus, quos delabente demum poëtica arte pro vera poësi venditatos esse a circumforaneis quibusdam poëtis, Dionysii tyranni docet exemplum, de hisce igitur lusibus Clearchus in libro suo egit, quum et Calliae tragoediam grammaticam, et Castorionis carmen in Pana et alia eiusdem generis diligenti explicatione persequeretur. Quod non miramur; nam Peripateticorum familia, quippe quae in λύσεσι satis esset exercitata, dissolvendis iis, quae aenigmatis inerant, difficultatibus prae ceteris delectabatur, unde factum esse arbitror, ut ne Chamaeleon horum quidem studiorum plane rudis videatur. Sed de eo postea videbimus, tantum commemorasse hic sufficiat, eum in Laso Hermionensi laudasse ὡς ἔπαιξε περὶ ἰχθύων (Athen. VIII, 338. b.), in Simonide id artis eius proprium et insigne invenisse, quod per amphiboliam loqueretur. (Cf. Athen. X, 456, c, ubi quem affert γρῖφον ex eodem Chamaeleontis libro eum hausisse iudico.)

Chamaeleonti suppar Hieronymus est Rhodius, qui Timonis Phliasii et Lyconis Peripatetici aequalis et ipse Peripateticus non solum de hominibus litteratis in ὑπομνήμασιν ἱστορικοῖς, de quibus ipsi narravimus in libro de hypomn. p. 12, sed etiam pluribus voluminibus de poëtis singillatim egit, cuius libri una pars inscripta erat περὶ τραγῳδοποιῶν (Fabr. Bibl. gr. II. p. 307. Harl.). Quum vero eius libri reliquiae paucissimae sint ipseque Hieronymus Chamaeleonte paullo minor fuerit, neque de ratione eius quidquam conici potest nec credendum est eum in studia Chamaeleontis ullam habuisse vim. Eam vero Demetrio Phalerio fuisse non denegem. Quum enim et Demetrius et Chamaeleon, si vera sunt, quae supra de eius aetate docui, Theophrasti essent discipuli, ratio utriusque in eligendis et in tractandis argumentis aliquid cognationis habebat neque omnino diversa erat altera ab altera.

Superioribus magis interpretatione iusta amplexus est res earumque inter se connexum persecutus est Demetrius Phalerius in iis scriptis, in quibus de Graecis litteris non in transitu sed copiose et luculenter egit. Quae de eloquentia edidit scripta in Demosthene tota versabantur ita, ut artem eius ex exemplis doceret, vitam moresque depingeret et studia percenseret. Iure igitur Plutarchus in Demosthenis vita (cap. 9. 11. 14. 28) Phalerium tanquam auctorem suum et ducem adhibere potuit, et quae Photius (in Lex. v. Ἰσαῖος), Apollonius (in vit. Aesch. III. p. 247. Bekk.), Dionysius Halicarnassensis (de Plat. 1. p. 757. 2. p. 760. de admir. vi dic. in Demosth. c. 53.), Philodemus Rhetor (in actis Parisiensibus, quae sunt inscr. Revue de phil. 1845. p. 315. 317), Q. Cicero (de pet. Cons. 1.) docent, rhetoricis Demetrii scriptis id argumentum fuisse, quod modo posuimus, luce clarius ostendunt. Propius vero ad initia litterarum historiae accedunt Demetrii libri, in quibus Homerum respicit et Antiphanem comicum. De Phalerii libro περὶ Ἀντιφάνους docuit A. Meinekius, vir cl., in Hist. crit. 1. pag. 308. Praeter hunc eius librum apud Diogenem Laërtium invenimus Ὁμηρικὸν α'. et περὶ Ἰλιάδος α'. β'., in quibus Demetrius eadem ratione, quam Chamaeleontis Pontici postea cognoscemus, censuram de singulis Homeri versibus exercuit. Versum enim Iliadis β. 409. oblitterare nos iubet (Athen. IV. pag. 177. f.) quia per se pateat, fratrem in fratris convivio vel invocatum admitti; et quae sit vocis ἀστεῖος vis, docet in Cram. Anecd. Oxon. III, 384. Demetrium περὶ Ὀδυσσείας quoque quattuor saltem libros conscripsisse testis est Eustath. ad Od. γ, 267. pag. 201. (cf. Schol. in Od. Buttm. Stob. Flor. 1. pag. 165. Gaisf. coll. cum Odyss. ψ. 296.), in quibus ad interpretandum poëtam rariores fabulas ex reconditioribus fontibus haustas tractasse videtur. Quod eam ob caussam dico, quia de singulari libro περὶ ποιητῶν, quem Welckerus' (Cycl. Ep. p. 291.) propter Diogenem Laërtium V, 5, 9, 80. extitisse arbitratur, non cogitandum est; Diogenes enim, cuius menti obversantur universa Phalerii scripta, in universum eum quum de rebus bellicis et civilibus egisse tum multum studii in oratorum et poëtarum libris posuisse docet.

Sed non solum ab hac parte verum etiam ab altera ratio, quam in tractandis litteris Chamaeleon secutus sit, illustrari poterit. Si enim, quod supra probasse nos confidimus, Theophrasti

discipulus fuit Peripateticus, ex eadem schola profectus est Chamaeleon atque Samii illi fratres Duris et Lynceus (Athen. IV. p. 128. a. VIII. p. 337. d. Suid. s. v. Λυγκεύς). Duris Samius praeter historica quaedam de tragoedia librum conscripsit, cui libro fortasse assignandae sunt reliquiae, quas affert Athenaeus. Quamquam eos ex libro περὶ Εὐριπίδου καὶ Σοφοκλέους se deprompsisse dicit Athenaeus, iudico tamen, quum alibi nulla eius extet mentio, hunc de utroque tragico poëta librum unam tantummodo partem amplioris de tragoedia libri effecisse; quod item de Hieronymi Rhodii scriptione περὶ τραγῳδοποιῶν statuimus quodque de universis fere Chamaeleontis voluminibus erit statuendum, quum saepissime singulae librorum partes proprio suo titulo fuerint inscriptae apud veteres. (Athen. IV. p. 184. d. XIV. pag. 636. f.) Quodsi Godofr. Eckertzius, vir doctus, in libro de Duride Samio, quem Bonnae a. 1846 edidit, fidei laudem Duridi negandam esse iudicat, hac in re iustius agere videtur quam Hullemanus Traiectinus; nam quae ex eius libro de tragoedia transtulit in sua Athenaeus l. l., ea fide quam maxime indigere videntur, quum quae de tibicine Alcibiadis praeceptore narravit Samius repugnare quodammodo videantur iis, quae Pseudo-Plato in Alcibiade 1. pag. 106. et Plutarchus in vit. Alc. c. 2. coll. c. cp. 32 protulerunt, et quae de μαγάδεως barbari vocabuli radice hariolatus est Duris, male eum interpretis munere functum esse ostendant. Ut in his rebus adversarii partes suscepit contra adversariae disciplinae philosophos, ita in aliis iniquissimum prodidit animum in Academicos, quin etiam, quamvis ex eadem disciplina atque ipse prodierit, in Demetrium Phalerium. Mira profecto narravit et prope ridicula de Socrate (Diog. L. II, 5, 19), quem servum faceret, iniuste si non inepte iudicavit de Platone (Procl. ad Tim. I, p. 28.), quasi ei sana mens in poëtis recte aestimandis abesset. Infestissime vero insectatus est Demetrium, in quem exquisita quadam malignitate invectum eum esse (ex Athen. XII. pag. 542. b—e.), Eckertzius (de Duride Samio p. 12.) recte probasse videtur.

Neque Lynceum, Duridis fratrem, eundemque Theophrasti discipulum, et eius aetatis aequalem, cui Chamaeleontem iure nos assignasse arbitramur, in iis libris, in quibus poëtas virosque doctos sive leviter tantum quasi praeteriens attigit sive accurate et copiose singularibus quaestionibus persecutus est, a nimia, quam ex lepidis de viris litteratis narratiunculis caperet, oblectatione absolvere debemus. Quo in studio eas potissimum venabatur fabellas, quibus vitium aliquod in clarorum virorum moribus inesse indicaretur. Prodiit enim ab eo de Menandro libellus (Ath. VI. p. 242. B.), qui qualis fuerit quum propter reliquiarum paucitatem pro certo evinci nequeat — agunt enim eae de Euclide Smicrini filio et de Philoxeno, cui cognomen Πτερνοκόπις erat inditum — tamen eam ob caussam parum modeste et verecunde scriptus esse non potuit, quum in certamine quodam poëtam ut devinceret Peripatetico obtigisset. (Ath. VIII. pag. 338. d.) Prodierunt etiam eiusdem Lyncei ἀποφθέγματα, quod genus illa demum aetate a Callisthene, Alexandri Magni in Asia comite, congeri coeptum est. Quum mihi propositum sit alio loco de iis agere, haec docuisse sufficiat, primum oblectationem, quam ex salibus et facete dictis caperent homines, huius aetatis aeque propriam fuisse aequeque communem atque quam ex aenigmatis haurirent, tum et dictorum collectiones, quas dicunt, sine ullo negotio conditas esse, ultroque inter legendum provenire debuisse, ubi in perscrutandis magnorum ingeniorum vitis et in venandis iis, quae de vita sua obscurius aut facetius in carminibus et fabulis significassent poëtae, viri docti in dicta inciderent, quae quamquam ex reliqua narratione quasi decerpta et abrupta, tamen in singularibus libris collata, brevitatis nervo et acuminis vi, legentium animos delectarent. Qua quidem in re non miramur, si multa parum certa et probata corporibus illis facete et acute dictorum inserebantur. Id sane fieri debebat duabus ex caussis. Nam eorum, qui dicteria colligebant, alii quidem, quamvis ipsi integri et simplices essent, imprudenter tamen et inconsiderate ex impuris fontibus narrationes haurire poterant plane ignari atque inscii, eas a quibusdam auctoribus suae ipsorum disciplinae nimium studiosis fucatas esse. Verum alii, qui erant iniqui atque invidi aliarum scholarum obtrectatores, detrahendi caussa vel multa maledice contumelioseque

fingebant vel si maledicta, undecunque ea emittebantur, citius dissipabantur et quasi sine capite manabant, ea cupidissime arripiebant et in ἀποφθεγμάτων corpus redigebant, aut ita neglegentes, ut unde audiisent plane obliti essent aut ita levem sequentes auctorem ut memoria dignum non putarent. Quum vero nihil tam volucre sit quam maledictum, fictae illae auditiones non in uno tantummodo scriptore considere, non in uno tantummodo homine, qui propter disseminatos illos dispersosque sermones existimationis iacturam fecerat, haerere solebant, sed per multos libros pervolitabant, et quicunque simili quadam vitae conditione erant usi, omnes ii iisdem maledictis corripiebantur similibusque narrationibus perstringebantur. Inde est factum ut eadem vox, quam alius misisse dicebatur, in alios conferretur, quod verum esse ex collatis inter se, quae apud Diogenem Laërtium in philosophorum vitis leguntur, narratiunculis comprobatur. Multae enim earum ad verbum adeo consentiunt, ut nihil nisi personarum nomina mutata esse videantur. Ita inhonesti illi et impuri suae disciplinae sectatores malignitate sua in adversarios castitatem et integritatem litterarum fucata sua doctrina adeo corruperunt et paene deperdiderunt, ut vix veri quidquam sive de poëtarum sive de philosophorum vitis apud posteriorum temporum reperiatur scriptores, qui sine ulla falsi suspicione nulla adhibita censura fictas illas et ementitas narrationes pro veris acceperunt. Eo in numero est Diogenes Laërtius, qui sine discrimine et credulos illos et malevoles secutus auctores variam suam doctrinam ex apophthegmatis deprompsit. Vide quaeso quanta gravitate Bionis (IV. 7, 3), Aristotelis (V, 1, 11 et 13) salse et facete dicta laudaverit, quam accurate, quasi in novum scriptionis locum transiret, philosophorum dicta ita induxerit, ut nemini dubitationem relinqueret, se ἀποφθεγμάτων narratores sequi. Formulis enim usus est: ἀπεφθέγξατο (I, 2, 16. I, 3, 6 saep.) φασὶν εἰπεῖν, λέγεται εἰπεῖν, ἀπεφθέγξατο δέ φασι (I, 11, 2. II, 3, 5. cet. I, 2, 16.), ἀποφέρεται δὲ εἰς αὐτὸν καὶ ἀποφθέγματα (I, 1, 9. V, 1, 11. V, 2, 10), quibus in eam scriptionis partem transiit, qua philosophorum sales et facetiae, non insertae eae in vitae narrationem sed quasi avulsae et solutae ex omni rerum coniunctione, cunctae continerentur. Haec in rebus componendis accuratio Diogenem in narrandis leporibus et facetiis aliorum auctorum secutum esse narrationes ostendit, quae ubi largius affluxerunt ei maiorem copiam apophthegmatum attulerunt, quod in septem sapientibus, in Anacharse, Anaxagora, Aristippo, Menedemo, Stilpone, Platone, Xenocrate, Crantore, Antisthene, Diogene, Cratete, Zenone, Cleanthe imprimis factum esse videmus; et quod narratiunculae istae ad legendum commendabantur a Diogene Laërtio, quia χρειῶδες aliquid iis inesset (V, 2, 10.), id consilium eorum satis aperte prodit, quibus primis religiose ac diligenter virorum doctorum dicta colligere in mentem venit.

Verum ut ad Lynceum revertar, is si secundus fuit, qui apophthegmata edidit post Callisthenem, eandem atque ille ea in re rationem sequebatur, quam tempus efflagitare videbatur, formamque invenit rei, quam eius aetatis qui litteris studerent omnes postulabant. Quid vero aetas ea postulaverit quum ex aliis Peripateticis cognoscere licet, tum ex Chamaeleonte illo, qui nec diversus ab eiusdem scholae discipulis nec ignarus, quid tum hominum mentes in viro docto requirerent, ab Aristotele doctus erat de arte cogitare, et cum Clearcho aenigmata, cum Lynceo apophthegmata venabatur. Chamaeleon igitur, qui utroque pede quasi positus esset et fundatus in sua aetate suaque disciplina, neutram earum excessit, sed aequalium suorum et condiscipulorum rationem strenue amplexus est. Num in ulla re eos superaverit, non dicam, quod et eius et illorum reliquiae tam paucae sint, ut comparationem inter se vix admittant. Singulare vero aliquid et ipsius proprium in Chamaeleonte fuisse, credendum tamen est, quum interpretatio eius, qua veteres poëtas illustravit, multis locis ab aliis discrepet ipsumque nullis, quod sciamus, adminiculis suapte ingenii vi suoque ut dicitur Marte in expediendis difficultatibus elaborasse demonstret. Hanc ob caussam etiam pauca ea, quae possumus proferre, conferre debent ad imaginem illius aetatis perficiendam, quae propter studiorum adsiduitatem altius in rerum caussas naturamque penetrantium

et propter vividam sedulitatem antiquitatis memoriam diligenter perscrutantem animos nostros commoveat et novarum formarum inventione, in quas variam suam doctrinam quasi infundat, nos delectet et teneat necesse est.

Nunc vero de hisce deinceps Chamaeleontis scriptis nobis agendum est: de eius libro

1. περὶ Ὁμήρου.
2. περὶ Ἡσιόδου.
3. περὶ Στησιχόρου.
4. περὶ Σαπφοῦς.
5. περὶ Ἀνακρέοντος.
6. περὶ Λάσου.
7. περὶ Σιμωνίδου.
8. περὶ Πινδάρου.
9. περὶ ἀρχαίας κωμῳδίας.
10. περὶ Σατύρων.
11. περὶ Θέσπιδος.
12. περὶ Αἰσχύλου.
13. de προτρεπτικῷ.
14. de libro περὶ μέθης.
15. περὶ ἡδονῆς.
16. περὶ θεῶν.

Quibus in libris quid consilii secutus esse videatur quidve docuerit Chamaeleon, interpretandis eorum reliquiis subiungemus.

A. POETAE EPICI.

I. De Homero.

Chamaeleontem Peripateticum de Homero scripsisse, tres sunt testes, et Tatianus, qui in libro contra Graecos § 48 eum accenset illis viris doctis, qui de genere poëtae eiusque flore accurate quaesiverint, quum dicit: περὶ τῆς ποιήσεως τοῦ Ὁμήρου γένους τε αὐτοῦ καὶ χρόνου, καθ' ὃν ἤκμασε, προηρεύνησαν οἱ πρεσβύτατοι, Θεαγένης τε ὁ Ῥηγῖνος κατὰ Καμβύσην γεγονὼς — μετ' ἐκείνους Ἔφορος ὁ Κυμαῖος καὶ Φιλόχορος ὁ Ἀθηναῖος, Μεγακλείδης τε καὶ Χαμαιλέων οἱ περιπατητικοί. λ., et Eusebius in praep. evang. X. cp. 2, et Chamaeleon ipse, qui se de Homero Hesiodoque scripsisse dicit, ubi apud Diog. Laërt. V, 6, 7. de Heraclide Pontico conqueritur, qui sibi quae de utroque Epico scripsisset, suffuratus sit.

Ratio, quam in Homericis secutus est Chamaeleon, nulla re aliena fuisse videtur ab ea, quam in ceteris scriptis servabat. Non enim commentario perpetuo Homeri carmina prosecutus est, qui quae ex oratione poëtica enascerentur difficultates tolleret, sed quum aliquid explicare et interpretis munus in se suscipere vellet, in rebus haesitabat, quas ex profundae suae doctrinae copia illustraret. In carminum enarratione explicabat antiquitates et, quae vel vitiosa viderentur vel cum iis, quae aliunde nosset, non congruerent, pro sua doctrina emendabat. Huic interpretationi de Homeri vita dissertationem praecessisse, ex Tatiani loco supra allato apparet. De reliqua argumenti tractatione nihil constat. Quae tamen ex reliquiis coniectura assequi potui haec sunt: Chamaeleontis liber, qui erat de Homero, duabus continebatur partibus, altera περὶ Ὀδυσσείας, altera περὶ Ἰλιάδος, quarum illam vere exstitisse ex Schol. ad Hom. Odyss. ε, 334 probabile est, haec non minus quinque libros amplexa esse videtur (Schol. Apoll. Rhod. II, 904.). De singulari Homeri carminum editione, quod Lehrsius facit in Aristarcho pag. 30, cogitare nolo, quum reliquiarum genus repugnet; fieri quidem potuit, ut emendationes in editionem a se paratam reciperet, sed non est verisimile; accuratius enim omnibus perpensis, reliquiisque inter se collatis Chamaeleontem plura attulisse argumenta, quibus emendationem probaret, videbis. Seriem igitur singularum quaestionum (ζητημάτων), quae coniunctae commentarium formarent, ab eo profectam esse arbitror. Iam vero ex Peripatetici emendationibus cur pleraque silentio praeterierint veteres ea est caussa, quod quae placerent refutationi non obnoxias esse arbitrabantur, eaque in suum usum conversa tacito auctoris nomine in scholicos commentarios sumebant; quae vero minus recte coniecisse videbatur Chamaeleon, ea premebant neque praeteribant posterioris aetatis critici. Saepius igitur Aristarchus ei adversatur et iure quidem, Zenodotus non item. Is enim Chamaeleontis emendationem cum auctoris nomine recepit in Il. μ. 231; num alias quoque adoptaverit, evinci nequit. Itaque Peripateticorum vis

animos agitandi et ingenia acuendi ei non deerat, qui tamen utpote philosophus, quum totum se philologiae non dedisset, in philologia nihil perfectum proferre potuit. Id relictum erat Grammaticis Alexandrinis, ad quorum studia iuste aestimanda Chamaeleon litteris suis aequales quasi paravit et traduxit.

1. Semel tantummodo in Schol. ad Homeri Odyss. Chamaeleontis nomen legitur, ad versum β, 334: Λευκοθέη, ἣ πρὶν μὲν ἔην βροτὸς αὐδήεσσα.

Aristoteles iam in ζητήμασι suis — sic enim arbitror propter ea quae in scholiis leguntur ζητεῖ Ἀριστοτέλης — quaesiverat cur ex Deabus Calypso, Circe, Ino solae appellarentur αὐδήεσσαι, voce humana praeditae. Leucotheam sic appellari, quippe quae prius mortalis inter mortales versata esset, minus eum offenderat; quod vero Deae immortales hoc adiectivo significarentur, offensionis aliquid habuit, scrupulumque iniecerunt versus Odysseae κ, 136. (cf. Nitzsch ad. h. l.) λ, 8. μ, 150, 449, ubi et Calypso et Circe adiectis ornantur δεινὴ θεὸς αὐδήεσσα. Aristoteles igitur, qui eas Deas a coelicolis illis, quos οὐρανιῶνας appellat Homerus, distinctas vellet, et adiectivorum in ήεις desinentium significationem parum respiceret, αὐδήεσσα vocabulum in οὐδήεσσα, vel si recte equidem video in αὐλήεσσα mutavit, quasi de Deabus sermo esset, aulam vel glebam inhabitantibus. Aristophanem Byzantium οὐδήεσσα vocabulum legisse, falso docet Nitzsch l. l., legitur enim in Scholio ὁ μὲν Ἀριστοφάνης τὰς ἀνθρωποειδεῖς θεὰς αὐδηέσσας φησὶν οἱονεὶ φωνὴν μετειληφυίας, ὁ δὲ Ἀριστοτέλης αὐδήεσσαν λέγει οἱονεὶ ἐπίγειον· οὕτως καὶ Χαμαιλέων, ubi Ἀριστοτέλης vel αὐλήεσσαν propter ea, quae in Scholio sequuntur, vel cum Buttmanno pag. 207 οὐδήεσσαν scribendum est. Chamaeleon hac in re immerito praeceptorem est secutus, nam Homericum illud αὐδήεσσα reiciat, qui de nativo illo et candido poëtae lepore parum recte iudicaverit. Contentionem quandam contrapositis illis adiectis δεινὴ θεός et αὐδήεσσα inesse senserunt quidem Aristoteles et Chamaeleon, sed quaerebant eam in aliis rebus, in quibus non debebant. Aliis enim locis Homero αὐδὴ humana est oratio, αὐδήεις qui ea utitur (ἄνθρωποι αὐδήεντες. Od. ζ. 125). Quodsi Deas αὐδηέσσας appellat poëta, humana oratione, quae abhorreat a divino sermone, cuius expressa indicia in Odyssea inveniuntur velut in divino illo herbae nomine μῶλυ, eas uti significat, easque non Deorum sed hominum more ac consuetudine inter homines versari solere indicat. Alia enim in condicione esse Calypsonem et Circen atque ceteros Deos Deasque, quae amplum tenerent Olympum, menti poëtae, quum Odysseam caneret, obversabatur. Coelicolae enim illi, quum homines convenirent, tum ut ad eorum ingenia sese accommodarent, non in divina sua forma iis apparere solebant, sed vel in somnis videbantur, vel in alias sive hominum sive bestiarum formas mutati hominibus aderant. Quod etiam Scholiasta docet ad Odyss. ζ. 125.

2. Vix felicior in emendanda Iliade fuit Chamaeleon. Legitur enim in Scholio ad Il. μ, 231. Πουλυδάμα, σὺ μὲν οὐκέτ' ἐμοὶ φίλα ταῦτ' ἀγορεύεις· Πουλυδάμα· αἱ Ἀριστάρχου χωρὶς τοῦ ν, παρὰ τὴν ἀναλογίαν, Ζηνόδοτος δὲ καὶ Χαμαιλέων σὺν τῷ ν Πουλυδάμαν. Chamaeleon in emendando Homero vulgarem orationis usum secutus est, cuius Canonem dedit Theodosius grammaticus apud Bekk. Anecd. III, p. 975 πᾶσα γενικὴ διὰ τοῦ ντ κλινομένη ἀποβολῇ τοῦ τος ποιεῖ τὴν κλητικὴν εἰ μὴ διφθόγγῳ παραλήγοιτο, χωρὶς τῶν μετοχῶν καὶ τῶν μετοχικῶν ὀνομάτων, quibus addit Choeroboscus pag. 1183. δεῖ προσθεῖναι ἐν τῷ κάνονι „χωρὶς τῶν Ἀττικῶν.“ οἱ γὰρ Ἀττικοὶ τὰς αὐτὰς εἰώθασι ποιεῖν ὀρθὰς καὶ κλητικὰς οἷον ὁ Θόας ὦ Θόας, ὁ Αἴας ὦ Αἴας, οὗτος ὦ οὗτος δεύτερόν σε προσκαλῶ. Ἔτι δεῖ προσθεῖναι καὶ χωρὶς τῶν εἰς ας, ὑπὲρ δύο συλλαβὰς βαρυτόνων παρὰ τὸ δάμνω συντεθειμένων οἷον Πολυδάμας Πολυδάμαντος ὦ Πολυδάμα.

Πολυδάμα, σὺ μὲν οὐκέτι ἐμοὶ φίλα ταῦτ' ἀγορεύεις.

Λαοδάμας Λαοδάμαντος ὦ Λαοδάμα· ταῦτα δὲ λέγομεν ποιητικά, et paullo post: ὦ Εὐρυδάμαν παρὰ Ἀλκαίῳ καὶ παρὰ Πινδάρῳ ὑπερμενὲς ἀκαμαντοχάρμαν Αἶαν. Cf. Hom. Epimerism. in Crameri Anecd. Oxon. I. p. 381. Constantinus Lascaris de nom. et verb. p. 116. 13. in Alcaeo legi dicit ὦ Πολυ-

δάμαν. Etiamsi igitur sive vulgaris Attica sive poëtica vocativi forma, si fides est grammaticis, in $\bar{\nu}$ exit, tamen neque hoc Iliadis loco μ. 231, neque ξ. 470, ubi Zenodotum Πολυδάμαν legisse docet Scholiasta, neque ν. 751. aut σ. 285. ea Chamaeleontis emendatione opus est, quam tamen eum non solum in omnibus illis versibus, si sibi constans erat Peripateticus, sed etiam in Odyss. θ. 141, 153. adhibuisse arbitror, ubi a casu recto Λαοδάμας derivatus ὦ Λαοδάμα legitur vocativus, ad quae respiciens Schol. A. Il. σ. 285 dicit: Πουλυδάμα· ἔδει σὺν τῷ $\bar{\nu}$ Πουλυδάμαν· τοιοῦτο δὲ καὶ Λαοδάμα παρὰ τὸν ὀρθὸν λόγον. — Sequamur vero hac in re dubia Aristarchum tamquam ducem, qui illam in $\bar{\nu}$ exeuntem a Chamaeleonte Homero obtrusam vocativi formam repudiaverit. Quod cur fecisset Aristarchus W. Ribbeckius in Zenodoteis, quae Philologo inseruit (VIII. 4. pag. 692.), iustam caussam invenit in utriusque vocativi numeris. Utrumque enim efficere docet plenum choriambum; post vocativum qui ex quattuor syllabis constaret caesuram atque aliquam impressionem formari in oratione; meliusque acquiescere posse recitantem in longa vocali quam in occlusa brevi syllaba. Haec illis, qui musicis auribus versuum sonos modosque imbibunt, probabilia videbuntur, praesertim quum etiam in Xenophontis Hellenicis VI. 1, 4 nullo repugnante codice ὦ Πολυδάμα legatur.

Il. τ. 62. δυσμενέων ὑπὸ χερσὶν ἐμεῦ· ἀπομηνίσαντος. Ex Aristonici libro de Aristarchi signis 3.
in cod. Ven. A. transiit: ἡ διπλῆ ὅτι ἀντὶ τοῦ ὑπὸ χειρῶν καὶ ὅτι περισσὴ ἡ ἀπὸ πρόθεσις ἀντὶ τοῦ μηνίσαντος, quibus addit cod. Victorinus Χαμαιλέων δὲ γράφει ἐπιμηνίσαντος. Iam igitur ante Aristarchum Chamaeleontem hic locus offenderat, non tam propter casuum mutationem, si recte conicio, quam propter ἀπομηνίσαντος vocabulum, quod praepositione ἀπὸ facile careret. Quod quum bene intellegeret Chamaeleon ἐπιμηνίσαντος scripsit, quae vox legitur in Il. ν. 460 αἰεὶ γὰρ Πριάμῳ ἐπεμήνιε δίῳ. In eo vero quod Victorinus habet ad η, 230 ἀπομηνίσας· Ἀρίσταρχος ἐπιμηνίσας Scholiasta aut errasse videtur aut Aristarchum Chamaeleontis emendationem laude sua commendasse credendum est. Quum enim Aristarchus praepositionem ἀπό ad sententiam nihil valere iam perspexisset et in Il. ε, 17 vocem ἐπιμῆνις in versum recepisset, Scholiasta Victorinus facile in eum errorem potuit incidere, ut Aristarcho adscriberet emendationem, quam a Chamaeleonte profectam esse suspicor. (Cf. Lehrs. de Aristarch. stud. Hom. pag. 118.)

Perverse egit Chamaeleon in versu Iliad. ψ, 94. 4.

Τίπτε μοι, ἠθείη κεφαλή, δεῦρ' εἰλήλουθας.

Ex Aristonici σημείοις transiit in Cod. Venetum A: ἠθείη κεφαλή· προσφώνησις νέου πρὸς πρεσβύτερον. (Cf. Choerobosci Orthogr. in Cram.: Anecd. Oxon. II. p. 216. ἠθεῖος: — ἢ ἀπὸ τοῦ ἦθος γέγονε ἠθεῖος· σημαίνει δὲ φιλοφρόνησιν ἀπὸ νεωτέρου εἰς παλαιότερον.) δῆλον ὅτι πρεσβύτερος Ἀχιλλέως ὁ Πάτροκλος· Χαμαιλέων γράφει ὦ θείη κεφαλή· γελοῖον δὲ ἐπὶ νεκρῷ τὸ θείη· διὸ ἡ διπλῆ. Aristarchus opinor versui signum apposuerat propter temerariam Chamaeleontis emendationem, quam utrum hoc tantummodo loco an etiam χ, 229. κ, 37 adhibuerit, dubium est; utrique certe versui, si Cod. A. fides est, Aristarchia διπλῆ erat adscripta ὅτι νεωτέρου πρὸς πρεσβύτερον σεπτικὴ προσφώνησίς ἐστι τὸ ἠθεῖε. De discrimine, quod interesset inter Achillis Patroclique aetatem, Chamaeleon nihil scisse videtur, qui, permotus fortasse Aeschyli fabula, Patroclum Achillis amasium, eamque ob caussam non maiorem sed minorem Achille fuisse crediderit. (Cf. Lehrs. de Arist. stud. Homer. pag. 188.)

Ad Iliadis versus ψ, 453. 5.

— φράσσατο δ' ἵππον ἀριπρεπέα προὔχοντα
ὃς τὸ μὲν ἄλλο τόσον φοῖνιξ ἦν, ἐν δὲ μετώπῳ
λευκὸν σῆμ' ἐτέτυκτο περίτροχον, ἠύτε μήνη.

Scholiasta Codicis Venet. II. Bessarionis adscripsit, Chamaeleontem equos ita signatos plurimi aestimatos esse apud veteres docuisse. Χαμαιλέων δέ φησι τοὺς τοιούτους ἵππους ἀρίστους εἶναι. Cui Chamaeleontis iudicio adversantur rei equariae scriptores, qui nigros optimos et acerrimos esse iudicant. Eam ob caussam enarrator vetus πηγοὺς ἵππους, qui leguntur Il. ι, 124, μέλανας fuisse dicit.

6. Ex libro Chamaeleontis de Homero eiusque carminibus fortasse defluxerunt ea, quae in veteres commentarios de Apollonii Rhodii Argonauticis sub Chamaeleontis nomine leguntur. Ibi enim est ad vers. 1, 139 Χαμαιλέων φησὶ, τὸν Θέστορα Ἴδμονα (παρὰ τοῖς ἀρχαίοις) καλεῖσθαι διὰ ἐμπειρίαν, qua in re a Pherecyde dissentit Peripateticus, apud quem Idmon pater Thestoris, patris Calchantis est. Chamaeleon de Thestore agere potuit ad Il. α, 69, ubi quae leguntur verba Κάλχας Θεστορίδης Zenodotum propter Pherecydis genealogiam verisimile est in μάντις Θεστορίδης mutare voluisse. In quo sine dubio falsus erat Zenodotus, nam οὐ δύναται τῷ γένει τὸ εἶδος ἅμα συγκατατίθεσθαι; Sophocles igitur rectius scripsit μάντις Θεστόρειος in Aiace v. 801. Cf. Schol. Lycophr. Alex. Tzetz. 427., Sturz de Pherec. pag. 170 sq., Müller fragm. hist. gr. I pag. 88. fr. 70.

7. Schol. Apollon. Rhod. II. 904. Ὅτι δὲ κατεπολέμησεν Ἰνδοὺς ὁ Διόνυσος, Διονύσιός φησι καὶ Ἀριστόδημος ἐν πρώτῳ Θηβαϊκῶν ἐπιγραμμάτων καὶ Κλείταρχος ἐν ταῖς περὶ Ἀλεξάνδρου ἱστορίαις, προσιστορῶν ὅτι καὶ Νύσα ὄρος ἐστὶν ἐν Ἰνδικῇ καὶ κισσῷ προσόμοιον φυτὸν φυτεύεται ἐκεῖ ὃ προσαγορεύεται σκινδαψός. Ὡσαύτως δὲ καὶ Χαμαιλέων ἱστόρησεν ἐν πέμπτῳ περὶ Ἰλιάδος. Hac de re Chamaeleon scribere non potuit nisi ad Il. ζ. v. 133, in cuius loci scholiis variae inveniuntur enarrationes de diversis Nysis. Dubium vero restat, de qua Nysa et poëta et interpres Ponticus cogitaverint.

II. De Hesiodo.

8. Chamaeleontem de Hesiodo scripsisse gravissimum testimonium profert Diogenes Laërtius V, 6, 7, ex ipso Chamaeleontis libro quodam quum narrat Χαμαιλέων τε τὰ παρ' ἑαυτῷ φησι κλέψαντα αὐτὸν (τὸν Ἡρακλείδην) τὰ περὶ Ἡσιόδου καὶ Ὁμήρου γράψαι. Nihil tamen in Hesiodi interpretatione cum nomine Peripatetici ad nostra tempora pervenit.

B. POETAE MELICI.

Post epicos, de quibus modo egimus, poëtas lyricis quoque operam dedit Chamaeleon Stesichoro, Sapphoni, Anacreonti, Simonidi, Laso, Pindaro, quorum carmina non dissimili ratione atque quam supra cognovimus eum tractasse probabile est. Quum vero lyrica poësis ea sit, in qua non poëta agat ut in epica rerum eventorumque narratorem sed interpretem eorum, quae ipse penitus senserit quaeve commotioris animi vi in se ipse sit expertus, is qui melicorum poëtarum carmina studiis suis persequitur, tum rectissime critici munere functus erit, quum neque vitam eorum neglexerit et in mores factaque eorum accurate inquisiverit, ut, quae sensa expresserunt versibusque exornarunt poëtae, vel ex rebus eorum fortunarumque condicione repetat vel ad ingenii culturam humanitatisque progressionem revocet. Quod Chamaeleontem probe perspexisse arbitror. Non igitur sola reconditiore antiquitatum doctrina singulas res dubias dissolvit, quae utpote obsoletae plerisque incognitae essent: sed etiam universa carmina ad poëtarum vitas rettulit, et ex rationibus, quae illis in usu vitae publice aut privatim cum aequalibus intercessissent, ea illustravit et illuminavit. Ita pro virili laboravit ut sententiam eliceret, quae vera inesset carminibus.

III. De Stesichoro.

9. Quae modo dixi, vera esse, melius ex reliquis cognosci potest quam ex iis, quae de Stesichoro habemus Chamaeleontis. Ex eo libro unum tantummodo extat frustum, quod est apud Athen. XIV. 630, c. Χαμαιλέων δ' ἐν τῷ περὶ Στησιχόρου καὶ μελῳδηθῆναί φησιν οὐ μόνον τὰ Ὁμήρου ἀλλὰ καὶ τὰ Ἡσιόδου καὶ Ἀρχιλόχου, ἔτι δὲ Μιμνέρμου καὶ Φωκυλίδου. Mira profecto sunt, quae narrat

Chamaeleon et adeo breviter dicta ut eodem compendio ea a Peripatetico exiisse vix putandum sit; nam de singulis, quos nominat poëtas singillatim et expresse eum ita egisse arbitror, ut a Stesichori nescio quo instituto initium capiens, quem in eo fuisse diceret morem, eum etiam ab aliis poëtis observatum esse monstraret. Quid vero Stesichorus instituerit accuratius quaerentibus nobis in mentem incidit, Stesichorum Longino esse (de Subl. 13, 3) ὁμηρικώτατον, neque id solum, suspicor, propter existimationem, qua apud veteres frueretur — nam secundum post Homerum locum ei assignabant — sed etiam propter epicum genus carminum eius, quod vel ex minutissimis eorum reliquiis et ex dactylico metro facile cognosci potest. Atqui ex Suidae loco, Bernhardii ingenio emendato (Litt. Hist. II. p. 477. Suid. v. Στησ.) scimus, Stesichorum chorum docuisse, qui carmina sua ad citharam caneret (Στησίχορος κιθαρῳδίας χορὸν ἔστησε); ex hoc igitur Stesichori invento initium sumens Chamaeleon de variis poëtarum modis uberius agere eaque docere potuit, quae Athenaeus in summarii angustias compulisse videtur. Et insolitum profecto fuit Stesichori institutum; nam non solum forma, quam carminibus suis dederat poëta, sed etiam ratio, qua argumenta sua tractaverat, epica magis erat quam lyrica. Itaque, quum carmina sua publice ageret Stesichorus, musicam rhapsodorum actionem adhibere debebat, qui, (sicut hodierni Itali solent in melicis illis sermonibus, quos recitativos vocant cantus) in recitandis epicis carminibus uno concordium phormingis sonorum concentu ab altero traducti versu ad alterum, prout fluctuans animi commotio postulabat, modo profundiore modo altiore utebantur in recitando voce. Sed rhapsodi nihil ad Stesichorum. Qui quum carminibus suis, quamvis ad epicum genus ea propius accederent, quam ad lyricum, modos faceret, quales lyricis carminibus esse solerent, chorumque doceret, nihil aliud fere fecit, nisi quod a Terpandro originem cepisse dicitur, qui musicis certaminibus id novi invenerit, ut Homeri carmina non dico chorum canere aut singulos recitare doceret, sed singulos canere iuberet ad lyrae modos, quibus ea persecutus esset (cf. Plut. de mus. 3. Athen. XIV. 638. a.). Eadem autem, quae nobis de melica Homericorum carminum tractatione aliunde nota sunt, Chamaeleon Hesiodo et Archilocho, cuius iambi, quamvis modis adhibitis, recitabantur tamen, factum esse dixit. Quodsi loco l. ad Mimnermi quoque et Phocylidis carmina modos esse factos Chamaeleon narravit, iam ante Stesichorum carmina, quae rhapsodorum actionem efflagitabant, melico quodam modo esse cantata docuit, quod quidem in elegiacis carminibus insolentius erat, quum tibia, quae usque tum in elegia humanae voci haud aliter quasi praeierat atque in heroico carmine phorminx solebat, cum cithara esset mutanda. Chamaeleon igitur in libro de Stesichoro testis erat, modis iam ante eum in eo genere carminum, quod ab initio melico cantui non erat destinatum, adhibitis, poësin graecam inclinasse paullatim et prolapsam esse magis magisque ad mollitiem dulcedinemque lyrici cantus.

IV. De Sapphone.

Athen. XIII. p. 599. c. Ὁ Ἑρμησιάναξ σφάλλεται συγχρονεῖν οἰόμενος Σαπφὼ καὶ Ἀνακρέοντα, 10.
τὸν μὲν κατὰ Κῦρον καὶ Πολυκράτην γενόμενον, τὴν δὲ κατ' Ἀλυάττην τὸν Κροίσου πατέρα. Χαμαιλέων δ' ἐν τῷ περὶ Σαπφοῦς καὶ λέγειν τινάς φησιν εἰς αὐτὴν πεποιῆσθαι ὑπὸ Ἀνακρέοντος τάδε·

Σφαίρῃ δηὖτέ με πορφυρέῃ
βάλλων χρυσοκόμης Ἔρως
νήνι ποικιλοσαμβάλῳ
συμπαίζειν προκαλεῖται.
Ἡ δ', ἐστὶν γὰρ ἐπ' εὐκτίτου
Λέσβου, τὴν μὲν ἐμὴν κόμην,
λευκὴ γάρ, καταμέμφεται,
πρὸς δ' ἄλλον τινὰ χάσκει.

Καὶ τὴν Σαπφὼ δὲ πρὸς ταῦτά φησιν εἰπεῖν

κεῖνον, ὦ χρυσόθρονε Μοῦσ', ἔνισπες
ὕμνον ἐκ τᾶς καλλιγύναικος ἐσθλᾶς.
Τήιος χώρας, ὃν ἄειδε τέρπνως
Πρέσβυς ἀγαυός.

Ὅτι δὲ οὐκ ἔστι Σαπφοῦς τοῦτο τὸ ᾆσμα παντί που δῆλον.

Cf. Neue Sapph. fragm. p. 101. Bergk. Anacr. rel. pag. 99 sqq. Poëtae lyr. ed. I. p. 668 et pag. 606.

De inveterato errore Athenaeus l. l. narravit, Annacreontem Sapphonem amasse, quod aetatis utriusque ratione recte habita, fieri non potuit. Falsae illius opinionis argumenta ex carmine quodam Anacreontis quaeruntur, quod quidem genuinum est, sed nihil tamen de Sapphone habet; poëta enim amore perditus, Lesbiam aliquam puellam cantat, non Sapphonem. Versus vero, qui poëtriae illi adscribitur, ea adeo indignus videtur, ut iam a veteribus criticis ei abiudicatus sit. Quam autem rationem Chamaeleon in hac narratione secutus sit si quis quaerat, ei quae supra docuimus in memoriam revocamus. Quod in Aeschylo quoque eum fecisse postea patebit, id hoc quoque in libro fecisse videtur, ut vitam poëtae ex eius carminibus interpretaretur. Hic enim Peripateticorum est mos; huic plurimae debentur de viris doctis narratiunculae, sed quae fide careant. — Chamaeleon igitur eorum sententiam secutus, qui Anacreontis versus vere Sapphoni esse inscriptos et ad eos carmine suo Sapphonem respondisse docerent, Anacreontem Sapphonis amore captum fuisse credidit. Aliter enim non erit statuendum de Athenaei loco propter articulum illum Χαμαιλέων δέ, qui contentionis habet aliquam vim.

V. De Anacreonte.

11. Athen. XII. p. 533. e. Χαμαιλέων δ' ὁ Περιπατητικὸς ἐν τῷ περὶ Ἀνακρέοντος προθεὶς τὸ

Ξανθῇ δὲ γ' Εὐρυπύλῃ μέλει
Ὁ περιφόρητος Ἀρτέμων

τὴν προσηγορίαν ταύτην λαβεῖν τὸν Ἀρτέμωνα διὰ τὸ τρυφερῶς βιοῦντα περιφέρεσθαι ἐπὶ κλίνης· καὶ γὰρ Ἀνακρέων αὐτὸν ἐκ πενίας εἰς τρυφὴν ὁρμῆσαί φησιν ἐν τούτοις. κ. λ.

Cf. Th. Bergk. de Anacr. p. 27, 110. — Ex Anacreontis carmine cognoscitur, Artemonem, hominem ignobilem, casu quodam repente locupletem factum, iam curru vehi, flavaeque Eurypylae magis cordi esse, quam ipsum poëtam. Hanc ex carmine ipso haustam interpretationem primus invenit Chamaeleon, qui fortasse ex poëtae verbis ἐπιβαίνει σατινέων argumenta eius desumpsit. — Qui postea proverbia digesserunt male, quae Chamaeleon docuerat, intellexerunt. Ille enim περιφόρητος vocabulum ita ceperat, ut esset curru circumvectus; qui vero postea proverbia interpretati sunt περιφόρητον Ἀρτέμωνα mechanicum faciebant Aristidis aequalem, qui quia claudus esset altero pede ad ea loca circumferri sese iussisset, ubi belli machinae contra muros essent extruendae. In hunc errorem inciderunt Ephorus apud Plutarchum in Pericle 27., Diodorus Sic. XII. 28., Schol. in Arist. Acharn. 815. Recte igitur contra Ephorum docuit Heraclides Ponticus, propter temporis rationem Anacreontis Artemonen eundem atque mechanicum illum esse non posse, (Plut. l. l.) et Plutarchus, qui ne ipse quidem de mechanico cogitabat, Chamaeleontis amplexus est sententiam, quae cum Heraclidea mirum in modum consentit ita, ut Th. Bergkius p. 44. propter Diogenem Laërtium supra laudatum recte suspicatus esse sibi videatur, Heraclidem, quae Chamaeleon invenisset, transcripsisse in sua. Utrumque Artemonem distinxit Hesychius quoque v. περιπόνηρος Ἀρτέμων· παρὰ τὴν παροιμίαν τὴν περιφόρητος Ἀρτέμων· εἰσὶ δὲ Ἀρτέμωνες δύο. cf. etiam Paroem. Bodlei. App. III. 32. pag. 411. Gött. At si vera essent, quae Chamaeleon docuerat, περιφόρητον Artemonem esse, quia curru vehi soleret, poëtica vi Anacreontis oratio prorsus careret; quod vel maiorem in modum accideret, si Bergkii

interpretatio valeret, cui περιφόρητον nihil nisi famosum est. Rectum sensisse videntur paroemiographus et Scholiasta supra laud., quorum hic in eo tantummodo errasse videtur, quod Anacreontem eo proverbio usum esse dixit, quum quae dixerat poëta, post eum demum in proverbium abierint. Quum vero dicat παροιμία ταχθεῖσα ἐπὶ καλοῦ καὶ ἁρπαζομένου πρὸς πάντων παιδός et in Appendice Paroem. legatur: Ὁ περιφόρητος Ἀρτέμων· ἐπὶ τῶν πάνυ ποθουμένων· φασὶ γὰρ ὅτι νεανίσκος ὁ Ἀρτέμων ἐγένετο περιμάχητος γυναιξίν, ab utroque scriptore recte significatur Artemo tanquam a mulierculis valde quaesitus et adamatus; est igitur adolescens inter mulierum amplexus iactatus, qui quasi per earum manus fertur ut περιφόρημα.

VI. De Laso.

Athen. VIII. p. 338. b. Οἶδα δὲ καὶ ἃ ὁ Ἑρμιονεὺς Λᾶσος ἔπαιξε περὶ ἰχθύων, ἅπερ Χαμαιλέων ἀνέγραψεν ὁ Ἡρακλεώτης ἐν τῷ περὶ αὐτοῦ τοῦ Λάσου συγγράμματι λέγων ὧδε· Τὸν Λᾶσόν φασι τὸν ὠμὸν ἰχθὺν ὀπτὸν εἶναι φάσκειν· θαυμαζόντων δὲ πολλῶν ἐπιχειρεῖν λέγειν ὡς ὅ ἐστιν ἀκοῦσαι, τοῦτό ἐστιν ἀκουστόν, καὶ ὅ ἐστιν νοῆσαι, τοῦτό ἐστι νοητόν· ὡσαύτως οὖν καὶ ὅ ἐστιν ἰδεῖν, τοῦτο εἶναι ὀπτόν· ὥστ' ἐπειδὴ τὸν ἰχθὺν ἦν ἰδεῖν, ὀπτὸν αὐτὸν εἶναι· καὶ παίζων δέ ποτε ἰχθὺν παρά τινων ἁλιέων ὑφείλετο, καὶ λαβὼν ἔδωκέ τινι τῶν παρεστώτων· ὁρκίζοντος δὲ (τοῦ ἁλιέως add. C.) ὤμοσε μήτ' αὐτὸς ἔχειν τὸν ἰχθὺν μήτ' ἄλλῳ συνειδέναι λαβόντι, διὰ τὸ λαβεῖν μὲν αὐτόν, ἔχειν δὲ ἕτερον, ὃν ἐδίδαξεν ἀπομόσαι πάλιν ὅτι οὔτ' αὐτὸς ἔλαβεν οὔτ' ἄλλον ἔχοντ' οἶδεν· εἰλήφει μὲν γὰρ ὁ Λᾶσος, εἶχε δὲ αὐτός. 12.

Utraque narratiuncula ex eodem libro defluxit Chamaeleontis, quem in interpretando nescio quo insolentiore vocabulo, in quod apud Lasum inciderit, de illa voluptate egisse credendum est, quam ex acute dictorum argutiis et ex verborum sententiarumque leporibus cepisset Hermionensis. Qua in re id commemoratione dignum videtur, idem argumentorum genus attigisse Chamaeleontem atque quod Clearchus Solensis singulari quodam libello περὶ γρίφων absolvit. Verum hoc quoque notandum est, Chamaeleontem ea, quae protulit, non ut sua sed quasi aliunde audivisset, narrasse. Illud φασίν enim, quod addit, non dissimile est illius, quod in eius explicatione de Sapphonis versu invenimus. Ostendit haec formula, Peripateticos saepissime, quae sine capite manarent, pro veris servasse; ideo factum est, ut, quod Luzacius iam observavit, in virorum doctorum vitas tam multa falso et perverse narrata irreperent; nam quae sive per amphiboliam ab iis dicta sive acute sensa ad nostra tempora pervenerunt, etsi non semper, qui eius narrationis auctor fuerit, dici queat, ea sine dubio ex Peripateticorum studiis profluxerunt. — Ceterum Lasum attigerunt ex Peripateticis Clearchus Solensis (cf. Veraert de Clearcho pag. 59, 62.) Heraclides Ponticus in libello περὶ μουσικῆς (cf. Athen. X. 445, c. XIV. 624. e. Deswert de Her. pag. 120). Novissime de Laso Herminionsi egit, quo solebat, acumine Schneidewinus in Prooem. schol. hibern. sem. habend. Götting. 1842.

VII. De Simonide.

De eodem Chamaeleontis studio superioris aetatis aenigmata venandi et dissolvendi testimonium est gravissimum apud Athen. X. 456, c. Γριφώδη δ' ἐστὶ καὶ Σιμωνίδῃ ταῦτα πεποιημένα, ὥς φησι Χαμαιλέων ὁ Ἡρακλεώτης ἐν τῷ περὶ Σιμωνίδου 13.

Μιξονόμου τε πατὴρ ἐρίφου καὶ σχέτλιος ἰχθὺς
πλησίον ἠρείσαντο καρήατα· παῖδα δὲ νυκτὸς
δεξάμενοι βλεφάροισι, Διωνύσοιο ἄνακτος
βουφόνον οὐκ ἐθέλουσι τιθηνεῖσθαι θεράποντα.

φασὶ δ' οἱ μὲν ἐπί τινος τῶν ἀρχαίων ἀναθημάτων ἐν Χαλκίδι τοῦτ' ἐπιγεγράφθαι, πεποιῆσθαι δ' ἐν αὐτῷ τράγον καὶ δελφῖνα, περὶ ὧν εἶναι τὸν λόγον τοῦτον· οἱ δὲ εἰς ἐπιτόνιον ψαλτήριον δελφῖνα καὶ τράγον

εἰργασμένον εἰρῆσθαι· καὶ εἶναι τὸν βουφόνον καὶ τὸν Διονύσου θεράποντα τὸν διθύραμβον· οἱ δέ φασιν ἐν Ἰουλίδι τὸν τῷ Διονύσῳ θυόμενον βοῦν ὑπό τινος τῶν νεανίσκων παίεσθαι πελέκει· πλησίον δὲ τῆς ἑορτῆς οὔσης εἰς χαλκεῖον δοθῆναι τὸν πέλεκυν· τὸν οὖν Σιμωνίδην ἔτι νέον ὄντα βαδίσαι πρὸς τὸν χαλκέα κομιούμενον αὐτόν· ἰδόντα δὲ καὶ τὸν τεχνίτην κοιμώμενον καὶ τὸν ἀσκὸν καὶ τὸν καρκίνον εἰκῇ κείμενον καὶ ἐπαλλήλως ἔχοντα τὰ ἔμπροσθεν, οὕτως ἐλθόντα εἰπεῖν πρὸς τοὺς συνήθεις τὸ προειρημένον πρόβλημα· τὸν μὲν γὰρ τοῦ ἐρίφου πατέρα τὸν ἀσκὸν εἶναι, σχέτλιον δὲ ἰχθὺν τὸν καρκίνον, νυκτὸς δὲ παῖδα τὸν ὕπνον, βουφόνον δὲ καὶ Διονύσου θεράποντα τὸν πέλεκυν· πεποίηκε δὲ καὶ ἕτερον ὁ Σιμωνίδης ἐπίγραμμα, ὃ παρέχει τοῖς ἀπείροις τῆς ἱστορίας ἀπορίαν

Φημὶ τὸν οὐκ ἐθέλοντα φέρειν τέττιγος ἄεθλον
τῷ Πανοπηιάδῃ δώσειν μέγα δεῖπνον Ἐπειῷ·

Λέγεται δὲ ἐν τῇ Καρθαίᾳ διατρίβοντα αὐτὸν διδάσκειν τοὺς χορούς· εἶναι δὲ τὸ χορηγεῖον ἄνω πρὸς Ἀπόλλωνος ἱερῷ οὐ (quod addit Bröndstedtius in Itinere Graeco I. p. 100.) μακρὰν τῆς θαλάσσης· ὑδρεύεσθαι οὖν καὶ τοὺς ἄλλους καὶ τοὺς περὶ τὸν Σιμωνίδην κάτωθεν, ἔνθα ἦν ἡ κρήνη· ἀνακομίζοντος δ' αὐτοῖς τὸ ὕδωρ ὄνου, ὃν ἐκάλουν Ἐπειόν, διὰ τὸ μυθολογεῖσθαι τοῦτο δρᾶν ἐκεῖνον, καὶ ἀναγεγράφθαι ἐν τῷ τοῦ Ἀπόλλωνος ἱερῷ τὸν Τρωικὸν μῦθον, ἐν ᾧ ὁ Ἐπειὸς ὑδροφορεῖ τοῖς Ἀτρείδαις, ὡς καὶ Στησίχορός φησιν·

Ὤικτειρε γὰρ αὐτὸν ὕδωρ αἰεὶ φορέοντα Διὸς κούρα βασιλεῦσιν.

ὑπαρχόντων οὖν τούτων ταχθῆναί φασι τῷ μὴ παραγενομένῳ τῶν χορευτῶν εἰς τὴν ὡρισμένην ὥραν, παρέχειν τῷ ὄνῳ χοίνικα κριθῶν· τοῦτο οὖν κἂν τῷ ποιητῇ λέγεσθαι· καὶ εἶναι τὸν μὲν οὐ φέροντα τὸ τοῦ τέττιγος ἄεθλον τὸν οὐκ ἐθέλοντα ᾄδειν, Πανοπηιάδην δὲ τὸν ὄνον, μέγα δεῖπνον τὴν χοίνικα τῶν κριθῶν.

In Stesichori versu legebat Eustathius p. 1323, 56 κούροις. Blomfield in Mus. Cantabrig. VI. invertit scripturam Codicis ita, ut legeretur — ᾤκτειρε γὰρ αὐτὸν Αἰὲν ὕδωρ φορέοντα Διὸς κούρα βασιλεῦσιν. At non de heroici carminis reliquiis hic cogitandum est, sed de melici; versus enim est ex Stesichori Ilii devastatione et agit de Helena, quae Epeum commiseratur. Cf. ceterum Bergk. Poët. lyr. p. 639. Gaisfordii Poët. min. III. p. 342. Schneidewin. Delect. p. 331.

His ex reliquiis scriptionis de Simonide optime cognosci potest, quae fuerit Chamaeleontis ratio in enarrandis et explicandis poëtis. Primum enim, quod supra Chamaeleontem facere iam vidimus, ut, quibus ex fontibus narrationes suas hauserit, reticeat, id hoc quoque loco fecit; nam φασὶ οἱ μέν, οἱ δέ plane obscuri nobis sunt auctores neque ita fidi. Tum amplexus est, quae eum adamare supra iam diximus, aenigmata, quorum dissolvendorum difficultas mirum quantum occupatum eum tenebat. Postremum carmina, quae interpretatur, ad vitam poëtae, cuius sunt, applicat ita, ut alteram ex altero illustret.

Simonidis versus ex anathematicis carminibus deprompti sunt; habes eos in Schneidewini delectu pag. 426, in Bergkii poëtis lyric. ed. I. pag. 704, in Gaisfordii Poëtis min. III. 186. Cf. etiam Schneidewinum in Simon. fragm. pag. 218 sqq. Exerc. crit. X. 62, 59. Chamaeleon eos examinaverat, ut de Simonidis adolescentia et de initiis eius poëticis aliquid erueret. Etsi enim manifesto non dixit, tamen ex diversis illis aenigmatis interpretationibus eam, quam postremo loco posuit, amplexus esse Peripateticus videtur, quia illa facillime poterat referri ad poëtae vitam, qui Iulide in patria sua Dionysio taurum sacrificaret. Quod primum hoc epigramma sequitur alterum idem Chamaeleon interpretatus est; non enim dubito, quin ea quoque, quae in Athenaeo huius carminis legitur enarratio, eidem philosopho sit adscribenda. Tacuit quidem Athenaeus de fonte, ex quo hauserit. Si vero, quo artissimo vinculo ea inter se cohaereant respexeris, et in narratione ipsa unum tenorem eundemque atque in superioribus servatum, nec ab Athenaeo in tota illa dissertatione alium quemquam auctorem nisi Chamaeleontem adhibitum esse cogitaveris, ne Tu quidem, arbitror, negabis ab eo alterius quoque epigrammatis interpretationem esse profectam. — Neque hoc carmen Chamaeleonti quaestionem non attulit de iuvenili poëtae aetate, qua Carthaeae in Ceo insula ad celebrandos Apollinis festos occupatus fuisset in choris docendis. Asinus, qui in eam

choream, quam in itinere suo Bröndstedtius visitaverat, aquam adportabat, ut aenigma illud fingeret Simonides, effecit, quod quidem se dissolvere posse, eos desperare necesse erat, qui difficultates superare ex poëtae vita non didicerant. Ceterum aliam huius epigrammatis interpretationem quam me non intellegere ingenue fateor, profert Ioannes Siculus in Scholiis ad Hermogenis Id. in Walzii rhet. gr. VI. pag. 200 (cf. Anonymi quoque Schol. ap. Walz. VII. 2. p. 949). Audierat quidem de Epeo quodam, cui lautissimae paratae essent epulae, sed nesciit hoc nomine asinum esse nominatum, et quum cogitaret de Homerico illo Epeo, tum temporis ratio non constabat, πρὸ γὰρ Σιμωνίδου ὁ Ἐπειὸς οὗτος τριακοσίοις ἢ πλεῖον ἔτεσιν ἦν; quum de amico quodam Simonidis, nullos inveniebat sales in epigrammate illo, cuius aliam scriptionem exhibet hancce:

Φημὶ τὸν οὐκ ἐθέλοντα φέρειν τέττιγος ἄεθλον
τῷ Πανοπηιάδῃ μετὰ δεῖπνον δώσειν ἐπ' ἠώ.

Tum sequitur interpretationis loco doctrinae suae specimen ὃ πόνοις καὶ ἐξετάσεσι πολλῶν ἐτῶν μόλις ἐνόησε. Quid eo voluerit Ioannes prorsus ignoro. Cf. Schneidewin. in Sim. Rel. p. V.

Athen. XIV. 656 c. Περὶ δὲ λαγῶν Χαμαιλέων φησὶν ἐν τῷ περὶ Σιμωνίδου ὡς δειπνῶν παρὰ τῷ Ἱέρωνι ὁ Σιμωνίδης οὐ παρατεθέντος αὐτῷ ἐπὶ τὴν τράπεζαν καθάπερ καὶ τοῖς ἄλλοις λαγωοῦ, ἀλλ' ὕστερον μεταδιδόντος τοῦ Ἱέρωνος, ἀπεσχεδίασεν 14.

Οὐδὲ γὰρ οὐδ' εὐρύς περ ἐὼν ἐξίκετο δεῦρο·

ὄντως δὲ ἦν ὡς ἀληθῶς κίμβιξ ὁ Σιμωνίδης καὶ αἰσχροκερδής, ὡς Χαμαιλέων φησίν· ἐν Συρακούσαις γοῦν τοῦ Ἱέρωνος ἀποστέλλοντος αὐτῷ τὰ καθ' ἡμέραν λαμπρῶς, πωλῶν τὰ πλείω ὁ Σιμωνίδης τῶν παρ' ἐκείνου πεμπομένων ἑαυτῷ μικρὸν μέρος ἀπετίθετο· ἐρομένου δέ τινος τὴν αἰτίαν Ὅπως, εἶπεν, ἥ τε Ἱέρωνος μεγαλοπρέπεια καταφανὴς ᾖ καὶ ἡ ἐμὴ κοσμιότης.

Post pugnam ad Plataeas commissam anno 478 a. Chr. n. poëta senex in Siciliam profectus est ad Hieronem, Syracusanorum tyrannum, ut, ni fallor, inimicitias effugeret, quas ex amicitia et Pausaniae et Themistoclis sibi contraxisset. Qui quum ad mortem aut ad exilium compellerentur, et praeterea Timocreon Rhodius, in arte aemulus, Simonidem ex hominum existimatione deicere studeret, hic, sicut in iuventute apud Pisistratidas Athenis aut apud Scopadas in Thessalia fecerat, locupletissimam Syracusanorum tyranni domum visitavit, ut in extrema vita ab eo commoditatem haberet et prosperitatem, quam propter privata sua et publica consilia meruisse sibi videretur. De carminibus, quibus Hieronem celebravit Simonides, nihil fere ad nos pervenit. Chamaeleontis igitur narratio num carmini ulli sese applicaverit non constat, verisimile tamen est. Simonidem hoc loco inducit acute et salse dicentem, qualem iam supra (pag. 22) in iuvenilibus epigrammatis cognovimus. Ridicule sane Iliadis versum ξ, 33 per ludibrium detorsit, et humanitatis et leporis plena est illa responsio ad cuiusdam hominis interrogationem: cur a quotidiano victu, quem Hiero rex ei mitteret, maximam partem venderet; homo enim prudens et elegans vitium suum non tam cupide excusavit, quam salse confessus est; quo in artificio sibi constabat poëta. Cf. Aristot. Rhet. 2, 16. Ioh. Stob. Flor. 91, 31. Quodsi Chamaeleon poëtam vituperat propter sordidam lucri cupiditatem, ea in re sequi videtur Pindarum, qui initio Isthmici carminis secundi, et Aristophanem, qui in Pace v. 699 Dind., si fides est veteribus enarratoribus, morem eius reprehenderunt. Aristoteles quoque, ut de posterioribus taceam (cf. quorum testimonia Schneidewinus congessit p. XXIV sqq.), Chamaeleonti in vituperatione poëtae praecessit. Quo Simonidis carmine permotus Chamaeleon narrationem illam protulerit, ab Athenaeo non dicitur; neque id mirum, nam posterioris aetatis scriptorum magis intererat narrationes quam carmina repetere; initio autem eas ad illa interpretanda nec sine illis a Peripateticis esse editas adeo arbitror, ut omnes quae alibi inveniantur narrationes ex eius modi scriptiunculis quasi flosculos decerptas esse iure coniecisse mihi videar. Ex iis igitur defluxerunt, quae de Simonide alibi narrantur velut a Callistrato in Miscell. apud Athen. III, 125. c. in Anthol. Palat. XIII, 30. VII, 348., a Plutarcho in Aud. poët. p. 15. c. in Consol. ad Apoll. p. 105.

A. de S. n. v. p. 555. f. de Curios. p. 525. a. An Seni c. p. 786. B. de Nobil. XVIII. Sympos. III. init., a Stobaeo in Serm. X. 39. 62. II, 42. Schol. Arist. Pac. 68. Theocr. Id. XVI, 5, et in Argum., a Cicerone de N. D. 1, 22.

15. His Chamaeleontis reliquiis addenda sunt, quae exstant apud Athen. XIII. p. 611. a. εἰκότως οὖν πολλαὶ τῶν πόλεων καὶ μάλιστα ἡ Λακεδαιμονίων, ὡς Χαμαιλέων φησὶν ἐν τῷ περὶ Σιμωνίδου, οὐ προσίενται οὔτε ῥητορικὴν οὔτε φιλοσοφίαν διὰ τὰς ἐν τοῖς λόγοις ὑμῶν φιλοτιμίας καὶ ἔριδας καὶ τοὺς ἀκαίρους ἐλέγχους. Eadem de Lacedaemoniis quum alii observarunt tum Sextus Empiricus argumentis probavit in libro πρὸς ῥητ. c. 20 sq. Bekker p. 679 sq.; sed Chamaeleonti ipsa Simonidis carmina eam de Lacedaemoniorum moribus attulerunt quaestionem. Multa enim inter ea fuisse constat, quae sive de Lacedaemoniorum rebus egerunt, quas in pugnis contra Persas gessissent, sive viros quosdam Spartanos celebrarunt vel in proeliis mortuos vel etiam tum vivos, quibuscum velut cum Pausania rege fidissima amicitia coniunctus erat Simonides. Cf. Epigr. 198. Schneidew.

VIII. De Pindaro.

16. Athen. XIII. p. 573. c. Νόμιμόν ἐστιν ἀρχαῖον ἐν Κορίνθῳ, ὡς καὶ Χαμαιλέων ὁ Ἡρακλεώτης ἱστορεῖ ἐν τῷ περὶ Πινδάρου, ὅταν ἡ πόλις εὔχηται περὶ μεγάλων τῇ Ἀφροδίτῃ, συμπαραλαμβάνεσθαι πρὸς τὴν ἱκετείαν τὰς ἑταίρας ὡς πλείστας καὶ ταύτας προσεύχεσθαι τῇ θεῷ καὶ ὕστερον ἐπὶ τοῖς ἱεροῖς παρεῖναι· καὶ ὅτε δὴ ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα τὴν στρατείαν ἦγεν ὁ Πέρσης, ὡς καὶ Θεόπομπος ἱστορεῖ καὶ Τίμαιος ἐν τῇ ἑβδόμῃ, αἱ Κορίνθιαι ἑταῖραι ηὔξαντο ὑπὲρ τῆς τῶν Ἑλλήνων σωτηρίας εἰς τὸν τῆς Ἀφροδίτης ἐλθοῦσαι νεών· διὸ καὶ Σιμωνίδης ἀναθέντων τῶν Κορινθίων πίνακα τῇ θεῷ τὸν ἔτι καὶ νῦν διαμένοντα καὶ τὰς ἑταίρας ἰδίᾳ γραψάντων τὰς τότε ποιησαμένας τὴν ἱκετείαν καὶ ὕστερον παρούσας συνέθηκε τόδε τὸ ἐπίγραμμα

Αἵδ' ὑπὲρ Ἑλλάνων τε καὶ εὐθυμάχων πολιητᾶν
ἔστασαν εὐχόμεναι Κύπριδι δαιμονίᾳ·
Οὐ γὰρ τοξοφόροισιν ἐμήσατο δῖ' Ἀφροδίτα
Μήδοις Ἑλλάνων ἀκρόπολιν προδόμεν.

Καὶ οἱ ἰδιῶται δὲ κατεύχονται τῇ θεῷ, τελεσθέντων περὶ ὧν ἂν ποιῶνται τὴν δέησιν, ἀπάξειν αὐτῇ τακτὰς ἑταίρας. Ὑπάρχοντος οὖν τοῦ τοιούτου νομίμου περὶ τὴν θεὸν Ξενοφῶν ὁ Κορίνθιος ἐξιὼν εἰς Ὀλυμπίαν ἐπὶ τὸν ἀγῶνα καὶ αὐτὸς ἀπάξειν ἑταίρας ηὔξατο τῇ θεῷ νικήσας. Πίνδαρός τε τὸ μὲν πρῶτον ἔγραψεν εἰς αὐτὸν ἐγκώμιον οὗ ἡ ἀρχὴ (Olymp. XIII.)

Τρισολυμπιονίκαν ἐπαινέων οἶκον·

ὕστερον δὲ καὶ σκόλιον τὸ παρὰ τὴν θυσίαν ᾀσθέν, ἐν ᾧ τὴν ἀρχὴν εὐθέως πεποίηται πρὸς τὰς ἑταίρας, αἳ παραγενομένου τοῦ Ξενοφῶντος καὶ θύοντος τῇ Ἀφροδίτῃ συνέθυσαν· διόπερ ἔφη· (Boeckh. fr. 87. pag. 609. Bergk.. ed. 1. 88. pag. 246.)

ὦ Κύπρου δέσποινα, τεὸν δεῦτ' ἐς ἄλσος
φορβάδων κορᾶν ἀγέλαν ἑκατόγγυιον Ξενοφῶν τελέαις
ἐπάγαγ' εὐχωλαῖς ἰανθείς.

ἤρξατο δ' οὕτως τοῦ μέλους (Bergk. ed. 1. p. 244.)

Πολύξεναι νεάνιδες, ἀμφίπολοι
Πειθοῦς ἐν ἀφνειῷ Κορίνθῳ,
αἵτε τᾶς χλωρᾶς λιβάνου ξανθὰ δάκρη
θυμιᾶτε, πολλάκι ματέρ' ἐρώτων οὐράνι' ἀμπτάμεναι
νόημα ποττὰν Ἀφροδίταν,
Ὑμῖν ἄνευθ' ἀπαγορίας ἔπορεν,
ὦ παῖδες, ἐρατειναῖς ἐν εὐναῖς

μαλθακᾶς ὥρας ἀπὸ καρπὸν δρέπεσθαι·
σὺν δ' ἀνάγκᾳ πᾶν καλόν....

Ἀρξάμενός θ' οὕτως ἑξῆς φησιν·

ἀλλὰ θαυμάζω, τί με λεξοῦντι Ἰσθμοῦ
δεσπόται τοιάνδε μελίφρονος ἀρχὰν εὑρόμενον σκολίου
ξυνάορον ξυναῖς γυναιξίν.

Δῆλον γὰρ ὅτι πρὸς τὰς ἑταίρας διαλεγόμενος ἠγωνία, ποῖόν τι φανήσεται τοῖς Κορινθίοις τὸ πρᾶγμα· πιστεύων δὲ, ὡς ἔοικεν, αὐτὸς ἑαυτῷ πεποίηκεν εὐθέως

διδάξαμεν χρυσὸν καθαρᾷ βασάνῳ.

De Simonidis epigrammate cf. Gaisford. Poët. min. 3, p. 169. Schneidewinum in Sim. rel. p. 180, in Delect. p. 417. Bergkium in poëtis lyr. ed. 1. p. 786. In idem incidimus apud Plut. de malign. Herod. c. 39. et in Schol. ad Pind. Olymp. 13, 32, ubi versus eius varie scribebantur, v. 1. Athen. Ἑλλήνων. Plut. ἰθυμάχων (Dobree Append. Arist. p. 129. ἰθυμαχᾶν). Schol. Pind. ἀγχεμάχων. cod. Vratisl. D. ἐγχεμάχων. v. 2. Ath. ἔσταθεν εὔχεσθαι. Plut. ἔσταθεν εὐξάμεναι. Plut. δαιμόνιαι. v. 3. Plut. ἐμήδετο. Schol. ἐβούλετο. Schol. δῖα θεοῖσιν Ἀφροδίτα. Boeckh. δῖα θεάων. v. 4. Athen. Πέρσαις. — In adornandis Pindari versibus Bergkium secutus sum, cuius opinio, scolion illud minutis iisdem strophis iteratis constare, magis placeret. Continentur igitur verba πολύξεναι — Ἀφροδίταν una quinque versibus formata stropha α; ex stropha β quattuor versus ab initio non integri exstant; ex stropha γ habemus tres extremos, et ex δ versus 1. 3. 4. 5. διδάξαμεν — βασάνῳ et ὦ Κύπρου — ἰανθείς. Quae varie edita sunt haec habes: Boeckhius scripsit κουρᾶν (Ath. κορᾶν vel κόραν). τελέαις (Ath. τελείαις). ἐπάγαγ' (Ath. ἐπήγαγ'). πολύξεναι (Ath. πολύξειναι). Schneider. Πειθοῦς (Ath. πείθουσ') Hermann. et Boeckh. ἀφνειᾶ (Ath. ἀφνειῷ) Bergkius δάκρη ex Crameri Anecd. Oxon. 1. p. 121 pro δάκρυα. Boeckh. πολλάκι ματέρ' ἐρώτων (Ath. πολλάκις ματέρας) Bergk. οὐράνι' ἀμπτάμεναι (Ath. οὐρανίαν ἱπτάμεναι). Herm. νόημα (Ath. νοήματι). Boeckh. ὔμμιν (Ath. ὑμῖν). Bergk. ἄνευθ' ἀπογορίας. Boeckh. ἄτ' ἄνωθεν ἀπαγορίας (Ath. ἄνωθεν ἀπαγορίας). Boeckh. ἐν εὐναῖς (Ath. εὐναῖς). Bergk. λεξοῦντι ex cod. uno pro λέξαντι et Boeckhii λέξοντι. Casaubon. Ἰσθμοῦ (Ath. ὁμοῦ). Schweigh. τοιάνδε (Ath. τοιόνδε). Herm. διδάξαμεν (Ath. ἐδιδάξαμεν).

In transcribendo toto Athenaei loco ad pag. 374. c. usque secutus sum Augustum Boeckhium, a cuius auctoritate equidem recedere nec volui nec debui. Assentior enim viro clarissimo, qui II, 2. pag. 608 quae de hierodulis apud Athenaeum doceantur, ex Pindari carminibus in Chamaeleontis libellum defluxisse, totumque eum locum a Peripatetico illo profectum esse indicet. Et profecto, si quis supra allatas Chamaeleontis reliquias cum hisce comparaverit, rationesque, quas hic et ibi philosophus in interpretando secutus sit, accurate contulerit, is, quamvis Chamaeleontis auctoritatem semel tantum idque initio totius quaestionis antestatus sit Athenaeus, ab illo cuncta ea scribi potuisse non negabit. Ex eiusdem Chamaeleontis libri locus ille de Simonidis epigrammate in Scholia transiit ad Pind. Olymp. 13, 32. (cf. Boeckhii Prooem. IX.) — Quae si vere sunt disputata, totaque illa de Veneriis quaestio Chamaeleontis Peripatetici est: ab eodem sine dubio, nam utitur ea significatione quod sciamus primus, profecta est Pindaricorum carminum partitio in ἐγκώμια et σκόλια, quam multo ante Alexandrinos grammaticos ortam esse Boeckhius ostendit in Prooem. ad Pind. fragm. p. 555. — Ceterum de hierodulis, quae suas preces cum privatis et publicis consociare solerent Corinthi, uberius egit Aug. Boeckhius in fragm. Pind. pag. 611. Vehementissime falsus est Plutarchus, quum perversa scriptura perductus de statuis cogitaverit, quae matronis Corinthiacis essent positae. Tabula enim in Veneris templo suspensa nomina Corinthiarum illarum continebat; ad eas respexit Simonides cum scriberet αἵδ' ὑπὲρ Ἑλλάνων λ.

4

C. FABULARUM POETAE.

Postquam libris suis, quos de fabularum poëtis rebusque scenicis conscripserat Aristoteles, auctoritate sua effecit, ut discipuli quoque flagrantissimo studio eadem amplecterentur argumenta, multae prodierunt scriptiones, quae rei dramaticae historiam accurate persequebantur. Consentaneum enim erat, Peripateticos, qui in magistri vestigiis incederent, ea, quae aut inchoavisset aut generatim significavisset, copiosius absolvere et uberius tractare. Ita quae ille quasi praeteriens de rei scenicae primordiis et incremento docuerat in libro suo de arte poëtica vel in singularibus libris de poëtarum vitis, ea et propagabantur et amplificabantur vel novis probabantur argumentis, ut universa Graecorum vita et ars atque doctrina ad philosophiae rationem revocaretur litterisque illuminaretur et illustraretur. — Ex Aristotelis scriptis rem scenicam attigisse scimus et librum περὶ ποιητικῆς, et tres libros περὶ ποιητῶν, et librum περὶ τραγῳδιῶν, nisi is forte illius fuerit una pars, et libros, quos διδασκαλίαι et νῖκαι Διονυσιακαί inscriptos fuisse ex Diogenis Laërtii catalogo docti sumus. Ex discipulis vetustioribus eum secuti sunt in tractandis iisdem argumentis Aristoxenus Tarentinus, Dicaearchus Messenius, ex recentioribus Hieronymus Rhodius, Duris Samius. Superioribus illis adnumerandus est Chamaeleon Heracleota Ponticus propter illos libros, in quibus rei scenicae scenicisque poëtis operam dedit: περὶ (τῆς ἀρχαίας) κωμῳδίας, περὶ Σατύρων, περὶ Θέσπιδος, περὶ Αἰσχύλου, quorum tituli eos quasi quodam cognationis vinculo inter se ita coniunctos fuisse demonstrant, ut non unum vel alterum argumentum ad tractandum elegisse philosophus, sed universae rei scenicae primordia copiosissime persecutus esse videatur. Itaque si ad nostra tempora pervenissent libri, historiam haberemus certaminum illorum, quae in Dionysii honorem et publice instituta et a poëtis celebrata sunt; videntur ii igitur non tam singulares quaestiones quam maioris voluminis partes fuisse, quod uno fortasse titulo continebatur δραματικὴ vel θεατρικὴ ἱστορία, quale a Juba rege postea conscriptum est (Phot. Bibl. Cod. 161.). Quod si recte conieci, libri unam partem περὶ σατύρων egisse, secundam περὶ κωμῳδίας, tertiam περὶ τραγῳδίας veri est simile. Ex ea quam ultimo loco posui libri partem, duae extabant particulae περὶ Θέσπιδος et περὶ Αἰσχύλου. Hanc meam coniecturam aliquatenus firmari posse video ex varietate, quae est apud Athenaeum, in laudando uno libro. Athenaeus enim IX. p. 374. a. habet ἐν ἕκτῳ περὶ κωμῳδίας et IX. p. 406. e. ἐν ἕκτῳ περὶ τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας. Quae inscriptio genuina fuerit, ne ex reliquiis quidem evinci potest. Nam qui p. 406. e. laudatur Hegemo in veteris comoediae poëtarum numero est, et Anaxandrides, quem Chamaeleon Rhodium, alii Colophonium faciunt (Athen. IX. p. 374. b. Cf. A. Meinekium in Hist. crit. p. 367.), mediae comoediae poëtis est accensendus; quum vero de utroque in uno eodemque libro sermo esset iniectus, eius titulum περὶ κωμῳδίας fuisse credere malim, quamquam ne eos quidem reprehendere ausim, qui fieri potuisse dicant, ut quum de antiqua comoedia ageret Chamaeleon aliquid etiam de media vel nova proferret, praesertim quum facilius esset, in longiore libri titulo aliquid omittere quam addere. Si igitur libri inscriptio erat περὶ τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας ab Eumeli Peripatetici libro vix diversum eum fuisse suspicor. Qua de re conferantur quae Augustus Meinekius, vir clarissimus, in Hist. crit. 1. p. 8 ex manuscripto quodam scholio ad Aesch. c. Timarch. § 39. 4. elicuit: Εὔμηλος ὁ Περιπατητικὸς ἐν τῷ τρίτῳ περὶ τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας. Quodsi eundem eum esse Meinekius recte suspicatus est atque cuius πέμπτην τῶν ἱστοριῶν Diogenes Laërtius V, 1, 7. laudat, Eumelum illum de aetatis ratione, quae inter Platonem et Aristotelem intercessisset, et de Aristotelis morte falsa ea et vitiosa, quae fide carerent, docuisse credendum est. At quod de Stagiritae morte falsa docuit Eumelus, ea ipsa est caussa, cur proximo post Aristotelem tempore eum viguisse aut Chamaeleontis fuisse aequalem non credam. Accensendus potius est aequalibus Satyri Peripatetici, qui sub Ptolemaeo III Philometore floruit. Ut de Eumeli aetate aliquanto uberius agerem, id inde factum est, quod Aristotelis vel etiam Chamaeleontis temporibus comoediae genera tam

accurate esse distincta, ut eorum nomina vel in librorum titulos transirent, vix arbitror. Discrimina quidem generum et quaerebantur et observabantur, cuius rei testis est Aristoteles, qui quum in Ethic. Nicom. IV, 8. de παλαιαῖς καὶ καιναῖς κωμῳδίαις loquatur, non de vetustioribus et de novis modo actis cogitat comoediis, sed de duobus inter se diversis generibus, de quorum tamen ratione etiamtum non ita valde inter viros doctos constabat. Nam adeo paullatim comoedia antiqua in alia recentiora genera convertebatur, ut qui eius progressionem observare vellet, quum medius in ea inesset, generum discrimina non ita distincte definire posset; nam hominum mens ita est parata, ut multo difficilius quae fiant et quo modo, quam quae facta et absoluta sint cognoscat. Multo igitur recentiores viri docti, quorum menti tres illae aetates comoediae obversabantur iam absolutae et perfectae, eas significationes demum invenerunt τῆς ἀρχαίας, μέσης, νέας κωμῳδίας, quam ob caussam eas ante Anonymum de comoedia, vel ante Antiochum Alexandrinum, utrumque incertae sed tamen recentioris aetatis, apud vetustiorem ullum scriptorem vix reperies. Theophrastus enim scripsit περὶ κωμῳδίας (Diog. Laërt. V, 2, 47.) et Crates περὶ κωμῳδίας (Diog. Laërt. IV, 4, 23.) et Lycophronis quoque liber erat περὶ κωμῳδίας (Athen. VII, 278. b. XI, 501. d.), Eratosthenis extabant duodecim περὶ κωμῳδίας libri. Quodsi inter quinquaginta quattuor illius voluminis fragmenta duo reperiuntur apud Harpocr. p. 119. et Diogen. Laërt. VII, 5. quasi ex libro περὶ ἀρχαίας κωμῳδίας relicta, id noli mirari; hoc enim factum esse vel errore quodam scriptorum credendum est, vel si ab ipso Eratosthene profectam esse illam inscriptionem malueris arbitrari, hoc nihil contra nos faciet, quum eius aetate graecam comoediam iam interiisse constet. Quos praeter Eratosthenem nominavimus, eos praecipue de antiqua comoedia egisse suspicor, quum nova etiam tum nimis recens esset et media tanquam singulare genus non agnosci neque a ceteris generibus probe distingui posset. Eam ipsam ob caussam Chamaeleontem quoque περὶ κωμῳδίας scripsisse, et apud Athenaeum IX, p. 406. e. enarratorem significationem antiquitatis voce ἀρχαῖος de suo addidisse conicio, quum de Hegemone loqueretur, quem ἀρχαίου τρόπου poëtam iam nosset.

Ceterum quae Aug. Meinekius ad librum περὶ κωμῳδίας pertinere arbitratur apud Athen. XIV. p. 628. e. (Histor. crit. p. 8.) ea potius προτρεπτικῷ assignanda sunt; qua de re postea agemus.

Chamaeleon in his quoque de re scenica libris narratiunculis studebat, salibusque et acute dictis nimis fere favebat; num philosophiae suae praecepta immiscuerit doctrinaeque rationem admiserit, quamvis non pateat, suspicamur tamen, quum a magistri sui ratione non adeo descisse eum arbitremur, ut disciplinae unde prodiisset plane esset oblitus.

Quae de comoedia scripserat sex libris continebantur; libris vero singularibus περὶ Σατύρων, περὶ Θέσπιδος, περὶ Αἰσχύλου egisse eum conicio propter Athenaei quem in laudando Chamaeleonte servavit morem, quum ἐν τῷ περὶ λ. scriberet.

De satyris et de Thespide nemo quod sciamus scripsit praeter Chamaeleontem; sed de Aeschylo Heraclides quoque Ponticus in libro περὶ τῶν τριῶν τραγῳδοποιῶν. Fuerunt tamen alii amplioris argumenti libri, in quibus aut eadem aut certe similia attigerunt scriptores.

IX. De comoedia.

Athen. IX. p. 373. f. Ἐπεὶ δὲ τοῦ κωμικοῦ τούτου (τοῦ Ἀναξανδρίδου) ἐμνήσθην καὶ οἶδα τὸ 17.
δρᾶμα τὸν Τηρέα αὐτοῦ μὴ κεκριμένον ἐν τοῖς πρώτοις ἐκθήσομαι ὑμῖν, ἄνδρες φίλοι, εἰς κρίσιν ἃ εἴρηκε περὶ αὐτοῦ Χαμαιλέων ὁ Ἡρακλεώτης ἐν ἕκτῳ περὶ κωμῳδίας γράφων ὧδε· Ἀναξανδρίδης διδάσκων ποτὲ διθύραμβον Ἀθήνησιν εἰσῆλθεν ἐφ' ἵππου καὶ ἀπήγγειλέ τι τῶν ἐκ τοῦ ᾄσματος· ἦν δὲ τὴν ὄψιν καλὸς καὶ μέγας καὶ κόμην ἔτρεφε καὶ ἐφόρει ἁλουργίδα καὶ κράσπεδα χρυσᾶ· πικρὸς δ' ὢν τὸ ἦθος ἐποίει τι τοιοῦτον περὶ τὰς κωμῳδίας· ὅτε γὰρ μὴ νικῴη, λαμβάνων ἔδωκεν εἰς τὸν λιβανωτὸν κατατεμεῖν καὶ οὐ μετεσκεύαζεν ὥσπερ οἱ πολλοί· καὶ πολλὰ ἔχοντα κομψῶς τῶν δραμάτων ἠφάνιζε, δυσκολαίνων τοῖς θεα-

ταῖς διὰ τὸ γῆρας· λέγεται δ' εἶναι τὸ γένος Ῥόδιος ἐκ Καμείρου· θαυμάζω οὖν πῶς ὁ Τηρεὺς περιεσώθη μὴ τυχὼν νίκης καὶ ἄλλα δράματα τῶν ὁμοίων τοῦ αὐτοῦ.

Anaxandrides qui inter poëtas mediae comoediae numeratur iuste aestimatur ab Augusto Meinekio, viro clarissimo, in Hist. crit. I, pag. 367 sqq. 373 sqq. Plurimi habebatur ab Aristotele in Rhet. III. 10—12., in Eth. ad Eud. IV, 10. ad Nicom. VII, 10. et propterea, opinor, Chamaeleonti valde erat commendatus. Aequalis Philippi Macedonis docuit inter Ol. 101 et 108 vel 109. et decies primas detulit Philemonis ope, celeberrimi histrionis. Sexaginta quinque comoedias docuisse dicitur, quarum triginta sex tituli supersunt. Cum vero decies vicerit, nonnullas etiam praeter Tereum perniciem illam effugisse necesse est, quam Tereo parasse dicitur. — Propter illud Chamaeleontis λέγεται εἶναι veteres de patria Anaxandridis dubitasse arbitror; Chamaeleonti consentientes Suidas et Eudocia in Violeto eum faciunt Rhodium ex Camiro, alii Colophonium. Ceterum Chamaeleontis narratiuncula tacito auctoris nomine apud Eustath. ad Hom. Odyss. 6. p. 1834. 15. legitur: λέγεται δὲ ὕστερον καὶ Ἀναξανδρίδης καλὸς ὢν τὴν ὄψιν καὶ κόμην τρέφων, ὅμως ὑπὸ πικρίας παράβολος εἶναι καὶ διὰ τοῦτο ψεκτέος· ἡττώμενος οὖν ποτε καὶ δυσκολαίνων τὰς κωμῳδίας καὶ ταύτας κομψῶς ἐχούσας κατατέμνειν εἰς τὸν λιβανωτόν. Unus est inter comicos poëtas Anaxandrides, qui dithyrambis etiam certabat. Eum vero ad docendum dithyrambum equo vectum esse Athenas non tam Chamaeleontis quam Bodii est inventum in hist. lyr. poës. II. p. 332.

18. Athen. IX. pag. 406 e. Χαμαιλέων ὁ Ποντικὸς ἐν ἕκτῳ περὶ τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας· Ἡγήμων, φησίν, ὁ Θάσιος, ὁ τὰς παρῳδίας γράψας, Φακῆ ἐπεκαλεῖτο, καὶ ἐποίησεν ἔν τινι τῶν παρῳδιῶν

Ταῦτά μοι ὁρμαίνοντι παρίστατο Παλλὰς Ἀθήνη
Χρυσῆν ῥάβδον ἔχουσα, καὶ ἤλασεν εἶπέ τε μῦθον
„Δεῖνα παθοῦσα, Φακῆ βδελυρή, χώρ' εἰς τὸν ἀγῶνα.“
Καὶ τότ' ἐγὼ θάρσησα.

εἰσῆλθε δέ ποτε καὶ εἰς τὸ θέατρον διδάσκων κωμῳδίαν λίθων ἔχων πλῆρες τὸ ἱμάτιον· οὓς βάλλων εἰς τὴν ὀρχήστραν διαπορεῖν ἐποίησε τοὺς θεατάς· καὶ ὀλίγον διαλιπὼν εἶπε·

Λίθοι μὲν οἵδε· βαλλέτω δ' εἴ τις θέλει.
Φακῆ δὲ καὶ ἐν θέρει καὶ ἐν χειμῶνι ἀγαθόν.

εὐδοκίμει δ' ἀνὴρ μάλιστα ἐν ταῖς παρῳδίαις καὶ περιβόητος ἦν λέγων τὰ ἔπη πανούργως καὶ ὑποκριτικῶς, καὶ διὰ ταῦτα σφόδρα παρὰ τοῖς Ἀθηναίοις εὐδοκίμει· ἐν δὲ τῇ Γιγαντομαχίᾳ οὕτω σφόδρα τοὺς Ἀθηναίους ἐκήλησεν, ὡς ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ πλεῖστα αὐτοὺς γελάσαι. Καίτοι ἀγγελθέντων αὐτοῖς ἐν τῷ θεάτρῳ τῶν γενομένων περὶ Σικελίαν ἀτυχημάτων οὐδεὶς ἀπέστη, καίτοι σχεδὸν πᾶσι τῶν οἰκείων ἀπολωλότων· ἔκλαιον οὖν ἐγκαλυψάμενοι, οὐκ ἀνέστησαν δ', ἵνα μὴ γένωνται διαφανεῖς τοῖς ἀπὸ τῶν ἄλλων πόλεων θεωροῦσιν ἀχθόμενοι τῇ συμφορᾷ· διέμειναν δ' ἀκροώμενοι, καίτοι καὶ αὐτοῦ τοῦ Ἡγήμονος, ὡς ἤκουσε, σιωπᾶν διεγνωκότος· καθ' ὃν δὲ χρόνον θαλασσοκρατοῦντες Ἀθηναῖοι ἀνῆγον εἰς ἄστυ τὰς νησιωτικὰς δίκας, γραψάμενός τις καὶ τὸν Ἡγήμονα δίκην ἤγαγεν εἰς Ἀθήνας· ὁ δὲ παραγενόμενος καὶ συναγαγὼν τοὺς περὶ τὸν Διόνυσον τεχνίτας προσῆλθε μετ' αὐτῶν, Ἀλκιβιάδην βοηθεῖν ἀξιῶν· ὁ δὲ θαρρεῖν παρακελευσάμενος εἰπών τε πᾶσιν ἕπεσθαι, ἧκεν εἰς τὸ Μητρῷον, ὅπου τῶν δικῶν ἦσαν αἱ γραφαὶ καὶ βρέξας τὸν δάκτυλον ἐκ τοῦ στόματος διήλειψε τὴν δίκην τοῦ Ἡγήμονος· ἀγανακτοῦντες δὲ ὅ τε γραμματεὺς καὶ ὁ ἄρχων τὰς ἡσυχίας ἦγαγον δι' Ἀλκιβιάδην, φυγόντος δι' εὐλάβειαν καὶ τοῦ τὴν δίκην γραψαμένου.

De Hegemone, quo solet ingenii acumine, egit Aug. Meinekius in Hist. IV. p. 214 sq. Aequalem eum Alcibiadis fuisse et hac Chamaeleontis narratione et Athenaei loco XV. pag. 698 c. satis probatur. Veteris comoediae accensetur poëtis ab Athen. I. p. 5. 6. (Ἡγήμων ὁ Θάσιος, ὁ ἐπικληθεὶς Φακῆ, ὃν τῇ ἀρχαίᾳ κωμῳδίᾳ τινὲς ἐντάττουσιν.); utrum vero veteris illius, qualem Aristophanes docuerat quamque mediae et novae solemus opponere, an antiquissimae quam Cratinus docuerat plenam petulantiae et lasciviae et obscenitatis, disceptari potest. Athenaeus enim XV. p. 699 a. de Hegemone iudicat sic: γέγραφε δὲ καὶ κωμῳδίαν εἰς τὸν ἀρχαῖον τρόπον, ἣν ἐπιγράφουσι Φιλίνην, et

profecto ἀρχαῖον illum τρόπον ex lapidibus in orchestram coniectis agnoscas. Maiorem autem laudem quam comoediis suis adeptus est parodiis, quas primus ad certamen vocavit maxima cum Atheniensium laetitia. Cf. Athen. XV. p. 698. f. Eustath. p. 1420. 36. Quo vero anni tempore institutus sit ἀγὼν ille θυμελικός, ex narratiuncula aliquatenus firmari poterit de Gigantomachia, quae eo die in Atheniensium theatro acta est, quum tristissimus de Siciliensi clade Athenas veniret nuntius. Nam initio Septembris anni 443 infelicissima illa proelia committi erant coepta, quae decimo eius mensis die ingenti clade Atheniensium profligata sunt. Sub finem igitur Metagitnionis, quem Attici vocant, Ol. 91, 4. expeditio interierat (Thucyd. VII. 85. Plut. Nic. 28 coll. cum Thucyd. VIII. 2); quod si verum est, initio Boëdromionis mensis, qui dimidias partes et Septembris nostri et Octobris complectitur, de clade accepta Athenas allati sunt nuntii. Atqui cum ἀγῶνας θυμελικούς, quibus ab Athen. XV. p. 699. a. parodiae accensentur non nisi diebus festis institutos esse credibile est, praesertim quum peregrinos etiam Athenis frequentes affuisse Athenaeus dixerit, de alio festo vix erit cogitandum quam de Boëdromiis, quas in memoriam victoriae a Theseo de Amazonibus reportatae instituerant Athenienses, quamvis musica certamina iis acta esse aliunde non constet. Quae si cum aliqua veri specie disputata sunt, Hegemonem Boëdromiis anni 91, 4. Gigantomachiam egisse probabile est. Brevi tempore ante hos ludos Alcibiades Hegemonis nomen ex reorum albo deleverat, eadem insolentia usus, cuius exempla gravissima habet Pseudo-Andocides in orat. c. Alc. Caussa quae Hegemoni dicenda fuisset, nisi Alcibiadis ope esset liberatus, non erat civilis, sed publica, quod verum esse ex illis quibus Chamaeleon utitur verbis: ὅπου τῶν δικῶν ἦσαν αἱ γραφαί et propter iteratum illud γράφεσθαι pro certo et explorato debet accipi. Aug. Boeckhius in libro, quem de publicis Atheniensium rebus conscripsit, ed. I. 1, p. 435. ed. II. 1, p. 532, propter parodi mores atque ingenium, eum ὕβρεως esse accusatum suspicatur, cuius generis caussae, quum Athenienses imperium maritimum obtinerent, in Urbe diiudicabantur. Athenis in metroo nomina reorum publice proponi solebant, quod idem aliis in caussis apud Eponymos factum esse scimus, ubi columnae inscribebatur: Εὐκτήμων Λουσιεὺς ἐγράψατο Δημοσθένην λειποταξίου. (Cf. Demosth. in Mid. p. 548. Boeckh. Staatsh. 1. p. 433. ed. II. p. 529. Schoemann Att. Proc. pag. 562). Hegemon in hac sua caussa Alcibiadi advocati (συνηγόρου) partes tradiderat, qui tamen superbissime et iudices illusit et legem ipsam. — De Hegemonis cognomine non constat. Idem fere est atque Sopatri Paphii, qui item parodus apud Athen. IV. pag. 168. d. ὁ Φάκιος cognominatus est propter carmen, quod condidit Φακῆ inscriptum. Fieri igitur potuit ut Hegemoni simili de caussa propter carmen aliquod, quo lentem pauperum et tenuium cibum celebrasset, cognomen illud inderetur. Opportunam certe lentis celebrandae occasionem attulit poëtae vel carmen, quo epulas descripsit cibosque qui apponebantur (Athen. I. pag. 5), vel laudes, quibus lentem efferre solebant veteres (Athen. IV. pag. 158. a. Leutsch. Paroemiogr. II. ad Macarii cent. VIII. 71). Fortasse etiam aliter erit statuendum de cognomine. Cogitare enim quispiam poterit de cognatione, quae in parodiis suis homericis poëtae intercesserit cum Φακῇ, Ulixis sorore. (Athen. IV. p. 158 a.). Welandius (de praecipuis Parod. Hom. script. p. 28) de lenticulis vel variis cognomen fluxisse suspicatus est, quibus obsitum poëtae os fuisset deformatum; Prellerus (de Polemone p. 80) de inopia rerumque tenuitate cogitavit, quae alium cibum sibi parare atque lentem poëtam vetuisset. Aug. Meinekius cur utrumque versum Hegemonis, quorum alter in proverbium abiit, inter eius reliquias comicas non receperit, non video causam, nam etiamsi ex tempore eum factum esse arbitratur, comoediae certe propter metrum ascribendus est. Alterum eorum scribe aut Athenaei verbis assumtis:

Ἀγαθὸν δὲ κἂν χειμῶνι κἂν θέρει φακῆ,

aut Macarium sequens apud Leutschium l. l. II. p. 224.

Φακῆ δὲ κἂν χειμῶνι κἂν θέρει φακῆ.

ἐπὶ τῶν ἀεὶ τῶν αὐτῶν ὄντων. Cf. quem Leutschius addidit commentarium. Quid vero sibi voluerit

poëta quum illos versus proferret, non liquet. Sed si poëtam finxeris, spectatores quosdam dicacitate sua superiore in fabula exacerbasse, altero versu fortasse non negabis eum si qui vellent adhortari potuisse, ut in ipsum lapides conicerent; alter monuisse videtur, ut ne facerent quum bene semper de iis sensisset, idemque tam in secundis quam in adversis rebus eorum sensibus sese accommodasset.

X. De Satyris.

19. Suid. v. Ἀπώλεσας τὸν οἶνον, ἐπιχέας ὕδωρ· ἐπὶ τῶν τὰ καλῶς πρότερον γενόμενα ὕστερον μικροῦ τινος ἕνεκεν κακοῦ ἀνατρεπόντων· ἢ ἐπὶ τῶν ἃ χαρίζονται δηλούντων καὶ μὴ ἀκέραια παρεχομένων· αὕτη δὲ ἡ παροιμία γέγονεν ἐκ τοῦ Ἀριστίου Κύκλωπος, ὥς φησι Χαμαιλέων ἐν τῷ περὶ Σατύρων.

Zenob. II. 16. (Paroemiogr. edd. Leutsch. et Schneidew. p. 35) ἀπώλεσας κ. λ. ἐν Κύκλωπι δράματι Πολύφημος οὕτως πρὸς Ὀδυσσέα λέγει, ὅθεν εἰς παροιμίαν ἀπέστη.

Diogenian. II. 32. pag. 200 ἀπώλεσας κ. λ. ἐπὶ τῶν τοῖς καλοῖς τὰ χείρονα προσμιγνύντων· ἐν Κύκλωπος γὰρ δράματι λεγομένῳ οὕτω φησὶ πρὸς Ὀδυσσέα Πολύφημος.

Michael Apost. IV. 7. ἀπώλεσας κ. λ. αὕτη γέγονεν ἐκ τοῦ Ἀριστίου Κύκλωπος, ὥς φησι Χαμαιλέων ἐν τῷ περὶ Σατύρων· καὶ Πολύφημος οὕτω φησὶ πρὸς Ὀδυσσέα ἐν Κύκλωπος δράματι λεγομένῳ. Λέγεται ἐπὶ τῶν τοῖς καλοῖς τὰ χείρω ἐπιμιγνύντων.

Arsenii Viol. p. 71. ed. Walz. eadem Suid. v. Ἀριστίου Κύκλωψ· μέμνηται τούτου Χαμαιλέων ἐν τῷ περὶ Σατύρων. Ulpianus illo proverbio utitur apud Athen. VIII. pag. 362 a. Cf. Gatacker. Miscell. Post. cp. V. pag. 452. Falsus est Grotius, qui in Excerpt. p. 866 versum illum Philoxeno adscripserit. Cf. Aug. Meineke Quaest. Misc. I. p. 23. Histor. crit. I. p. 504. Friebel. Graec. Satyrgr. fr. p. 65. Welcker. Addit. ad Aeschyl. Tril. p. 285, p. 302. de Graec. Trag. p. 966.

XI. De Thespide.

20. Photius ed. Porson. Οὐδὲν πρὸς τὸν Διόνυσον. Ἐπιγένους τοῦ Σικυωνίου τραγῳδίαν εἰς αὐτὸν ποιήσαντος ἐπεφώνησάν τινες τοῦτο· ὅθεν ἡ παροιμία· βέλτιον δὲ οὕτως· τὸ πρόσθεν εἰς τὸν Διόνυσον γράφοντες τούτοις ἠγωνίζοντο, ἅπερ καὶ Σατυρικὰ ἐλέγετο· ὕστερον δὲ μεταβάντες εἰς τραγῳδίας γράφειν κατὰ μικρὸν εἰς μύθους καὶ ἱστορίας ἐτράπησαν, μηκέτι τοῦ θεοῦ μνημονεύοντες ὅθεν καὶ ἐπεφώνησαν· καὶ Χαμαιλέων ἐν τῷ περὶ Θέσπιδος τὰ παραπλήσια ἱστορεῖ.

Iisdem verbis repetit ea Suidas s. v., in quibus Otofr. Müller in Dor. II. 367 pro εἰς αὐτὸν ex Herodoto dedit V. 67. εἰς Ἄδραστον. Thierschius in prooem. ad Pind. p. 151., Welckerus in Additam. ad Aesch. Tril. p. 277 inserunt οὐ pro ποιήσαντος.

Similiter interpretantur proverbium Zenobius et Diogenianus, quorum alter cent. V. 40. (p. 137 Leutsch. et Schneidew.) ἐπὶ τῶν τὰ μὴ προσήκοντα τοῖς ὑποκειμένοις λεγόντων ἡ παροιμία εἴρηται. Ἐπὶ τῶν χορῶν ἐξ ἀρχῆς εἰθισμένων διθύραμβον ᾄδειν εἰς τὸν Διόνυσον, οἱ ποιηταὶ ὕστερον ἐκβάντες τὴν συνήθειαν ταύτην, Αἴαντας ἢ Κενταύρους γράφειν, ἐπεχείρουν. Ὅθεν οἱ θεώμενοι σκώπτοντες ἔλεγον, οὐδὲν πρὸς τὸν Διόνυσον. Διὰ γοῦν τοῦτο τοὺς Σατύρους ὕστερον ἔδοξεν αὐτοῖς προεισάγειν, ἵνα μὴ δοκῶσιν ἐπιλανθάνεσθαι τοῦ θεοῦ. Ab ea scriptura discrepat Coislinianus codex, quum in eo scriptum sit ἐπὶ — ὑποκειμένοις λαλούντων· τῆς γὰρ ποιήσεως τὸ πρῶτον ἐκ διθυράμβου τὴν καταρχὴν εἰληφυίας καὶ τὰ πρὸς τὸν Διόνυσον ἀνήκοντα πραγματευομένης, Ἐπιγένης ὁ Σικυώνιος οὐχ οὕτω ποιήσας, ἤκουσε τοῦτον τὸν λόγον· οὐδὲν π. τ. Δ., quo in loco pro Αἴαντας Bentleius Dissert. Phal. p. 174 Γίγαντας et pro προεισάγειν Gottfr. Hermannus ad Eur. Cycl. praef. p. XI προσεισάγειν scribi iusserunt. Cf. de utraque emendatione Welckerum disserentem in Append. ad Aesch. Tr. p. 277 sq.

Diogen. VII. 18. Οὐδὲν π. τ. Δ. ἐπὶ τῶν τὰ μὴ προσήκοντα φλυαρούντων. Πρῶτον γὰρ τὸ Διονύσου ᾄδοντες οἱ ποιηταί, ὕστερον κατεφρόνουν. Οἱ οὖν τοῦ Διονύσου ἔλεγον Οὐδὲν π. τ. Δ.

Appendix IV. 82 τὰ μηδὲν πρὸς τὸν Διόνυσον· ἐπὶ τῶν τὰ ἀνοικεῖά τισι προσφερόντων.

In Plutarchi convivio I. 1, 5. p. 615 a. ex sodalibus unus eo utitur proverbio: ὥσπερ οὖν Φρυνίχου καὶ Αἰσχύλου τὴν τραγῳδίαν εἰς μύθους καὶ πάθη προαγόντων, ἐλέχθη τί ταῦτα πρὸς τὸν Διόνυσον; οὕτως ἔμοιγε κ. λ. Haud secus in Luciani Bacch. § 5. Heliod. Aethiop. II. 24, in Cicerone ad Att. 14, 13.

Ex illis, quos modo attuli, locis Chamaeleontem aliam proverbii interpretationem quaesivisse patet atque tritas illas, ex quibus id proverbium inventum esset vel ad reiciendum molestum aliquod tragoediae genus, vel ad reprehendendos rudes militum Romanorum mores, qui in tabula, in qua Dionysii imago esset picta, calculis lusissent. Quod narrat Polybius apud Strabonem VII. 6. Tauchn. II. pag. 215. Φησὶ γὰρ ἰδεῖν παρὼν ἐρριμμένους πίνακας ἐπ' ἐδάφους, πεττεύοντας δὲ τοὺς στρατιώτας ἐπὶ τούτων. Ὀνομάζει δ' αὐτῶν Ἀριστείδου γραφὴν τοῦ Διονύσου, ἐφ' οὗ τινες εἰρῆσθαί φασι τὸ Οὐδὲν π. τ. Δ. Tertiamque habes interpretationem quam e Theaetetis libro de proverbiis Suidas transcripsit s. v. Οὐδὲν π. τ. Δ. Παρράσιόν φησι τὸν ζωγράφον ἀγωνιζόμενον παρὰ Κορινθίοις ποιῆσαι Διόνυσον κάλλιστον· τοὺς δὲ ὁρῶντας τά τε τῶν Παρρασίου Διόνυσον ἐπιφωνεῖν Τί πρὸς τὸν Διόνυσον; ἐπὶ τῶν μὴ τὰ προσήκοντα τοῖς ὑποκειμένοις φλυαρούντων. Quibus interpretationibus id commune inest, ut de Corintho aut Sicyone et de Dionysio aliquid significent. Chamaeleontis vero interpretatio magis originem proverbii spectasse videtur, nam aliter propter Suidae illud et Photii Χαμαιλέων τὰ παραπλήσια ἱστορεῖ non statuendum erit, quum Theaetetes et Polybius quas per occasiones id adhibitum esset persequerentur. Ex eo vero, quod in libro suo de Thespide Chamaeleon hunc de tragoediae origine locum attigit, duas res effecisse videtur Peripateticus, alteram ut Thespidem ex illorum poëtarum numero, qui nil nisi Satyrica dramata condidissent, eximendum esse doceret; quod nisi statuisset, de Thespide non singulari libro, id quod non animadvertit Bentleius in Opusc. p. 284, sed ἐν τῷ περὶ σατύρων profecto egisset; alteram, ut in libro de Thespide quum de primordiis Graeci dramatis, tum de tragicae artis progressione ad Thespidem usque, ut eius inventa meritaque illustraret, cum doctrinae varietate Aristotele (in Poët. IV, 14. Rhetor. III, 1) uberius et copiosius ageret. Quid vero Chameleon l. l. dixerit? Aug. Boeckhius in rebus Ath. ed. I, 2. p. 362 ff. et in Corp. Inscr. I. pag. 765 sq. Welckerus in Additam. Otofred. Muellerus in Dor. ed. 1. 2, 367. Thierschius in prooem. Pind. p. 151. Godofr. Hermannus in actis Lips. a. 1827. No. 15. et in Praef. Cycl. IX. chorum ducunt eorum, qui recentiore tempore Casauboni Bentleiique studia de dramatis primordiis illius proverbii quasi ope et subsidio renovarunt. Multum libidinis in tractandis scriptorum locis et acuminis multum in defendendis sententiis est adhibitum in quaestione, quae tamen ex Chamaeleontis locis per omnes suas partes ad perfectam perspicuitatem redigi non poterit; immo vero ea est artis huius litterarumque harum natura, ut quae plus uno Graeciae loco ex extemporali usu prodierunt genera et Athenis demum perfecta omnibusque numeris absoluta sunt: ut igitur ea, quomodo sese extulerint suisque incrementis adoleverint, narratione persequi nemo possit; nam ab initio propter originis obscuritatem et primordiorum exiguitatem nemo unquam oculos in ea convertebat, postea tempus praeterlapsum videbatur cum ulla prosperi eventus spe omnes rei aetates in mentem revocare, quas ea, variis locorum adiuta beneficiis aut hominum ingeniis aucta et amplificata passim erat permensa. Tantum refutandum non erit aut impugnandum, quod Aristoteles iam in Poët. IV, 14 sq. in Rhet. III, 14, 5. docuerat, tragoediam exortam esse ex choris, qui perpetua cum saltatione Dionysum Deum brevibus quibusdam carminibus, τραγικοῖς χοροῖς, celebrantes exordia et epilogos canerent et qui, quem soli exhiberent extemporalem cantum eorum duces, οἱ ἐξάρχοντες, certis locis precationis formulis interrumperent. Eiusdem generis festos dies apud eas gentes iisque in Graeciae regionibus primo esse celebratos, quae propter vicinitatem et continuum cum Asia commercium Asianorum moribus et institutis maxime paterent, inter omnes constat. In Asia enim dies festi qui frugum omnium et proventuum auctoribus Diis celebrabantur, cum furoris cuiusdam insania agebantur. Ita-

que, quum in Graecia quoque Bacchi cultus cognationis aliquid haberet cum Deorum cultu, qui apud Asianos fuerit, huius mores facillime in illo recipiebantur, unde factum est ut et Iones cum in insulis tum in continenti et Dores in Isthmi civitatibus, Corinthi, Sicyone, Phliunte Bacchum celebrarent summa cum lascivia, quam effrenatam intemperantiam prope dixissem, nisi in extemporalibus illis ludis quasi semen aliquod altioris floris et artis alicuius conditum iacuisset. Canebantur enim carmina, idque a choro temulenter per urbis vias vagante, nam οὐκ ἔστιν διθύραμβος ὅχ' ὕδωρ πίῃς, sed tamen in cantu musis datus erat locus, ubi insistere possent. Arion igitur Corinthi lascivo illi ludo artem addidit, fuit ille ὁ εὑρετὴς τοῦ τραγικοῦ τρόπου (Schol. ad Plat. de Rep. p. 394). Quid igitur invenit? ὁ τραγικὸς τρόπος eius is erat ut mobilem, qui usque tum fuerat, chorum in cyclicum converteret, id est, ut vagantes certa in chorea consistere ibique per strophas et antistrophas, quas Graeci dicunt, saltare doceret, tum ut carminibus, quae ex tempore usque eo cecinissent et choreutae et, qui praeibant, duces, varios numeros modosque adornaret et certa subiceret argumenta, postremo, ut, in Bacchi honorem festos dies agi haud oblitus, quasi comites Dei, testesque facinorum in introitu (εἰσοδίῳ Marius Victor. II, 11) personatos Satyros produceret, qui numerosa oratione ex Bacchi fabulis unam alteramve describerent et gestibus vultuque exprimerent. Ita ab Arione chorus, qui usque tum non nisi sacris quibusdam formulis usus fuerat, arte aliqua canere et saltare doctus est, et extemporalia carmina, quibus duces οἱ ἐξάρχοντες, chori animos inflecterent et commoverent, in numerosam Satyrorum orationem conversa sunt. Carmini illi, tali modo innovato et mutato, cuius summa vis in choro erat posita, διθυράμβου nomen indidit. Idem significat Suidas s. v. Ἀρίων· λέγεται καὶ τραγικοῦ τρόπου εὑρετὴς γενέσθαι καὶ πρῶτος χορὸν στῆσαι καὶ διθύραμβον ᾆσαι καὶ ὀνομάσαι τὸ ᾀδόμενον ὑπὸ τοῦ χοροῦ καὶ Σατύρους εἰσενεγκεῖν ἔμμετρα λέγοντας, quibus conferas quod est apud Zenobium τοὺς Σατύρους προεισάγειν. Verum horum carminum argumenta non Dionysum solum amplectebantur. Herodotus enim de tragicis choris narravit, qui Adrastum, Zenobius de aliis, qui Aiacem (vel Gigantes) et Centauros celebrassent; aliasque fabulas illa de Epigene Sicyonio, de cuius aetate nihil constat, narratio significare videtur. Qui quid effecerit, obscurum est. Nam aut tragicos choros induxit cum carminibus, quibus nimis pauca de Dionyso inerant, ita ut spectatores aegre ferentes quererentur: Nihil de Dionyso? aut tragicos choros Dionysum cantare docuit Epigenes Sicyone, ubi ante eum similibus ludis alios Deos daemonesque, imprimis Cererem, si Otofr. Muellero fides est in Aeginet. p. 170 sq., celebratos esse verisimile est, ita ut Sicyonii, quum severum gravemque Doricum cultum sequerentur, indignabundi vociferarentur: Nihil nobis cum Dionyso! Hoc constat, pro dithyramborum argumentis daemonum fabulas, cultu quidem et natura inter se cognatorum sed regionibus, quibus celebrarentur, diversorum, esse receptas et inde Atticae serioris aetatis tragoediae usum atque facultatem esse datam, ut universas Graecorum fabulas in se insumeret atque complecteretur. Sed nunquam tragoedia ab originis suae indole recessit, quum Nuntii in modum ducum illorum, qui chori cantui narratione praeibant (οἱ ἐξάρχοντες), enarrantes producerentur et in Dionysi honorem unum certe carmen a poëtis condi soleret. Iam vero in tragoediae historia lacuna inest, quae ab illis varii argumenti dithyrambis patet ad Thespidem usque Atheniensem. Iam ante eum ludos in Bacchi honorem Athenis esse actos ex Plutarchi Sol. 29 evincitur eoque firmatur quod Lasus Hermionensis Thespide paullo minor dithyrambicos Athenis invenisse dicitur choros, qui ab hoc aucti et amplificati ad certamina admittebantur. Thespis igitur aliquatenus, quae ante ipsum fuissent, novavit et mutavit; actorem enim invenit, et πρόλογον et ῥῆσιν, quam Graeci dicunt (Diog. Laërt. III, 56. Themist. Or. p. 406. p. 382. Dind.); quae tria inventa in unum redeunt. Ac dithyramborum quidem summa vis in choris erat, qui a Satyris inducebantur. Iam vero, quum poëtae a Bacchi fabulis recessissent aliorumque Deorum fabulas in carmina sua recepissent, Satyris, qui unius Bacchi comites fuerant, nullus amplius in carminibus locus restabat, eorumque loco aliae producebantur personae, quae, ut Satyri cum Baccho fuerant coniuncti, ita ex iis depromptae erant fabulis, ex quibus

novorum carminum argumenta sumebantur. Unus igitur aliquis ex herois cuiusdam comitibus vel heros ipse, cui fortasse inter chori cantum personam saepius mutare licebat, in scenam prodiit; eius narrationes chori carmina interruperunt ita, ut ex iis, quae ille unus narrasset, chori quoque animi vel gaudio vel timore et dolore afficerentur. Ea autem re chorus ipse imitator personarum et affectuum, μιμητικός, factus est, quum iam non solum gestibus et vultu carminum suorum argumenta exprimeret, sed etiam ex urbis, quae dithyrambo Deum celebraret, cive in actorem converteretur et certam transigeret fabulae personam. Cantores igitur desierunt Attici esse cives et videbantur ii esse viri aut mulieres, quibuscum uni illi res esset agenda, quorumque sub oculis argumenti fabula ita ageretur, ut tanquam alius urbis cives sui domini sorte animis commoverentur. Qua de re vel Thespidi illud οὐδὲν πρὸς τὸν Διόνυσον acclamatum esse, probabile est. Sed utrum Chamaeleon hoc senserit, an putaverit, iam ante Thespidem vocem illam esse editam ab iis, qui poëtas in fabularum argumentis a Baccho recessisse aegre ferrent, ex illo τὰ παραπλήσια ἱστορεῖ evinci nequit. Hoc tantum negari non potest, nos non integrum Chamaeleontem, sed ex mutilo et decurtato denuo decurtatum iterumque mutilatum in Photio habere et in Suida; neutrum enim eorum credibile est Chamaeleontis librum legisse, sed, quae Suidas manifesto ex Photio in suum usum convertit, Photium ipsum demonstrant ex vetere quodam scholiasta vel qui alius ampliora in angustum coëgisset, sua hausisse; aliter enim Suidas suis non addidisset: καὶ Χαμαιλέων ἐν τῷ περὶ Θέσπιδος τὰ παραπλήσια ἱστορεῖ.

XII. De Aeschylo.

Chamaeleontis liber de Aeschylo graecae tragoediae quasi decursum, quem post Thespidem ea sit permensa, persecutus est. Quum autem ex illis, qui Thespidis inventa propagarunt, nemo, quod sciamus, longius progressus sit Aeschylo, qui alterum invenerit actorem actorumque diverbium et chori vim coërcuerit, cui ex Arionis aetate summa fuerat in Thespide et Phrynicho (Aristot. Poët. 4, 15.), Aeschyli vita moresque singulari quodam libro a Chamaeleonte tractati sunt. Cuius scriptionis quamquam paucae quidem reliquiae sub auctoris nomine nobis sunt servatae, nihil tamen obstat, quin nonnullas in eas vitas transisse credamus, quas collegit Westermannus in Vit. Script.
pag. 177 sq. Atque eo in libro de Aeschyli inventis esse actum docet Athen. I. p. 21. e., quum
scribit: Καὶ Αἰσχύλος δὲ οὐ μόνον ἐξεῦρε τὴν τῆς στολῆς εὐπρέπειαν καὶ σεμνότητα, ἣν ζηλώσαντες οἱ 21.
ἱεροφάνται καὶ δᾳδοῦχαι ἀμφιέννυνται, ἀλλὰ καὶ πολλὰ σχήματα ὀρχηστικὰ αὐτὸς ἐξευρίσκων ἀνεδίδου τοῖς χορευταῖς. Χαμαιλέων γοῦν πρῶτον αὐτόν φησι σχηματίσαι τοὺς χορούς ὀχρηστοδιδασκάλοις οὐ χρησάμενον, ἀλλὰ καὶ αὐτὸν τοῖς χοροῖς τὰ σχήματα ποιοῦντα τῶν ὀρχήσεων, καὶ ὅλως πᾶσαν τὴν τῆς τραγῳδίας οἰκονομίαν εἰς ἑαυτὸν περιιστᾶν· ὑπεκρίνετο γοῦν μετὰ τοῦ εἰκότος τὰ δράματα. Chamaeleontem de vestimentis quoque egisse, quae Aeschylus invenisset dramatum personis, ex ea ratione, qua Chamaeleontis mentio apud Athenaeum iniecta est, suspicari debemus. — Ceterum Aeschyli inventa ex vita Robort., ex Suida, ex Philostr. vita Soph. 1, 9. (Gorg. apud Kais. p. 208, 18.) ex Philostr. vit. Apoll. VI, 11. (apud Kais. p. 113.) a Bernhardyo in Litt. Hist. II. pag. 579 congesta sunt. Ipsum eum saltationem docuisse chorum, discimus ex Chamaeleonte; de celeberrimo eius saltatore Teleste narravit Athen. l. l. Haec Aeschyli ars nil habet miri; est ea enim illius aetatis, qua in saltando et canendo summa chori vis erat posita ita, ut eandem ob caussam aequales Aeschyli aut aemuli celebrarentur Thespis, Pratinas, Cratinus, Phrynichus, quod dixit Athen. l. l. διὰ τὸ μὴ μόνον τὰ ἑαυτῶν δράματα ἀναφέρειν εἰς ὄρχησιν χοροῦ, ἀλλὰ καὶ ἔξω τῶν ἰδίων ποιημάτων διδάσκειν τοὺς βουλομένους.

Athen. I. pag. 22, a. Μεθύων δὲ ἐποίει τὰς τραγῳδίας Αἰσχύλος, ὥς φησι Χαμαιλέων. Σοφο- 22.
κλῆς γοῦν ὠνείδιζεν αὐτῷ, ὅτι εἰ καὶ τὰ δέοντα ποιεῖ, ἀλλ' οὐκ εἰδώς γε. Quibuscum conferas quae

idem Athen. docet X, p. 428 f. Πρῶτος γὰρ ἐκεῖνος (ὁ Αἰσχύλος) καὶ οὐχ, ὡς ἔνιοί φασιν, Εὐριπίδης παρήγαγε τὴν τῶν μεθυόντων ὄψιν εἰς τραγῳδίαν· ἐν γὰρ τοῖς Καβείροις εἰσάγει τοὺς περὶ τὸν Ἰάσωνα μεθύοντας· ἃ δ' αὐτὸς ὁ τραγῳδιοποιὸς ἐποίει ταῦτα τοῖς ἥρωσι περιέθηκε· μεθύων γοῦν ἔγραφε τὰς τραγῳδίας· διὸ καὶ Σοφοκλῆς αὐτῷ μεμφόμενος ἔλεγεν ὅτι Ὦ Αἰσχύλε, εἰ καὶ τὰ δέοντα ποιεῖς, ἀλλ' οὐκ εἰδώς γε ποιεῖς· ὡς ἱστορεῖ Χαμαιλέων ἐν τῷ περὶ Αἰσχύλου. Eandem Sophoclis vocem afferunt et Stob. in Serm. XVII. et Eustath. p. 1598. 58. Αἰσχύλος οὖν ἐν τῷ μεθύειν γράφων ἐπαινετὰς τραγῳδίας ἤκουσε παρὰ Σοφοκλέους τὸ ὦ Αἰσχύλε, εἰ καὶ τὰ δέοντα ποιεῖς, ὅμως οὐκ εἰδώς γε ποιεῖς.

Erravit Welckerus in Tril. p. 524, quum ea verba in exordio libri fuisse, quem Sophocles de choro scripsisset, diceret, nam ille liber neque extitit unquam, et qui Sophoclis verba exhibent scriptores, ea allocutionis forma utuntur. Magis credam Ionem Chium auctorem fuisse, quem Chamaeleon esset secutus, nam profecto multae et de Aeschyli et de Sophoclis vita narratiunculae eius in Ἐπιδημίαις inerant, quas quum inter peregrinos commoraretur, consignasse videtur. Sed quid de Sophoclis sententia iudicabimus? Non ita, opinor, ut Chamaeleon statuit, sed ut Plato sensit, qui in Socratis Apologia § 7. p. 22 hunc, postquam in itinere suo, quod ut se sapientiores inveniret, per artificum officinas instituerat, ad tragoediarum et dithyramborum aliusque generis poëtas venit, dicentem fecit: ἔγνων οὖν αὖ καὶ περὶ τῶν ποιητῶν ἐν ὀλίγῳ τοῦτο, ὅτι οὐ σοφίᾳ ποιοῖεν ἃ ποιοῖεν, ἀλλὰ φύσει τινὶ καὶ ἐνθουσιάζοντες ὥσπερ οἱ θεομάντεις καὶ οἱ χρησμῳδοί· καὶ γὰρ οὗτοι λέγουσι μὲν πολλὰ καὶ καλά, ἴσασι δὲ οὐδὲν ὧν λέγουσι et in Ione p. 533, Socratem poëtas βακχεύειν inducit dicentem, et paulo post: ἅτε οὖν οὐ τέχνῃ ποιοῦντες καὶ πολλὰ λέγουσι καὶ καλὰ περὶ τῶν πραγμάτων — ἀλλὰ θείᾳ μοίρᾳ τοῦτο μόνον οἷόςτε ἕκαστος ποιεῖν καλῶς ἐφ' ὃ ἡ μοῦσα αὐτὸν ὥρμησεν κ. λ. et in Menone p. 99 Socratem dixisse tradit: καὶ γὰρ οὗτοι (οἱ χρησμῳδοί τε καὶ οἱ θεομάντεις) λέγουσι μὲν ἀληθῆ καὶ πολλά, ἴσασι δὲ οὐδὲν ὧν λέγουσιν et brevi post ποιητικοί illis adnumerantur, qui λέγοντες πολλὰ καὶ μεγάλα πράγματα, μηδὲν εἰδότες ὧν λέγουσιν. Cf. Plat. de Legg. IV. p. 719. Cic. pro Arch. c. 8. Quodsi veteres Graeci animi inflammationem ardoremque, qui in poëtis esse soleat, eadem atque temulentiam quandam movere et efficere cogitant, in qua homines quid quomodo agant, plane nesciant, ne Sophoclem quidem aliud quidquam dicere voluisse nobis cogitandum est, nisi Aeschylum ingenii viribus excitatum et quasi divino quodam spiritu inflatum ferri et abripi adeo, ut quae convenirent et decerent et fas essent, dicere aut inscius sciret aut artis praeceptorum, quae animi ardorem moderatione quadam temperarent, sibi non conscius. Quid si utrumque poëtam comparaveris, nonne sapienti illa moderatione Aeschylum superari a Sophocle dices? Sophocles igitur iustissime in Aeschylo eam potuit desiderare prudentiam et moderationem, qua ipse excellebat. Iam vero Chamaeleon in Sophoclis verbis argumentum invenisse dicitur, Aeschylum, sicut ebrios in scenam produxisset, ita ipsum ebrium carmina condidisse. Qua in re Chamaeleon sine dubio erravit; nam Sophocles hoc dicere noluit; immo, quae Peripateticus docuit, perversam sapiunt interpretationem, eumque falso ea intellexisse arguunt. Aeschylus enim, qui de se ipso narrat apud Pausan. I. cp. 21, 3. ἔφη δὲ Αἰσχύλος μειράκιον ὢν καθεύδειν ἐν ἀγρῷ φυλάσσων σταφυλάς, καί οἱ Διόνυσον ἐπιστάντα κελεῦσαι τραγῳδίαν ποιεῖν· ὡς δὲ ἦν ἡμέρα (πείθεσθαι γὰρ ἐθέλειν) ῥᾷστα ἤδη πειρώμενος ποιεῖν, ut alii poëtae in musas, ita in ipsum Deum eam artem refert, quam profitebatur quaque festos eius dies celebrabat. Deus igitur ipse eiusque solemnia Aeschyli animum ardore illo moverant, eademque est Aristophanis sententia, quum in Ran. 1259 eum appellat Βακχεῖον ἄνακτα. His adde Gorgiae dictum et, quod apud veteres quoque valebat iudicium, vino inesse aliquam ingenii excitandi animique inflammandi vim, quorum alterum apud Plutarchum habes in Conv. Serm. VII, 2. ὥςπερ καὶ τὸν Αἰσχύλον ἱστοροῦσι τὰς τραγῳδίας ἐμπίνοντα ποιεῖν, καὶ οὐχ, ὡς Γοργίας εἶπεν, ἓν τῶν δραμάτων αὐτοῦ μεστὸν Ἄρεως εἶναι, τοὺς ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας, ἀλλὰ πάντα Διονύσου κ. λ. alterum in iisdem Conviv. Serm. 1, 5 legis, ubi quidem etiam in haec incidis: καὶ τὸν Αἰσχύλον φασὶ τὰς τραγῳδίας πίνοντα ποιεῖν καὶ διαθερμαινόμενον.

Neque id neglegendum videtur, verbum μεθύειν apud Graecos cum translatione aliqua adhiberi, ita ut sicut apud nostrates trunken et apud poëtas et recentioris aetatis scriptores Romanos ebrius, sic divino spiritu inflatum esse significet. Cf. Xenoph. Symp. 8, 21. Lys. pag. 222. c. Philostr. Vit. Soph. Dionys. 1. pag, 523. Kays. Lucian. Nigr. 5. 6. alibi. Itaque ambigua illa vocis significatio et Aeschyli furor bacchicus Chamaeleontem decepit ita, ut scriptoris, ex quo hausit, sententiam prorsus non intellegeret et perverse interpretaretur; eius igitur narratio iis est accensenda, propter quas Luzacius in altera Lectionum Atticarum parte iure Peripateticis id crimini dedisse videtur, quod adversos venantur rumores et in probrosis colligendis narrationibus nimio flagrant studio. Mirum profecto est, Chamaeleontis de Aeschylo iudicio alterum etiam Peripateticum extare auctorem, Callisthenem, Aristotelis propinquum, de quo Lucianus in Laud. Demosth. 15: Οὐ γὰρ, ὡς τὸν Αἰσχύλον ὁ Καλλισθένης ἔφη που, νήφων τὰς τραγῳδίας ἐν οἴνῳ γράφειν, ἐξορμῶντα καὶ ἀναθερμαίνοντα τὴν ψυχήν, οὐχ οὕτως ὁ Δημοσθένης συνετίθει πρὸς μέθην τοὺς λόγους ἀλλ᾽ ὕδωρ πίνων. Quae Callisthenes docuit, eadem in Plutarchi verba s. l. transiisse propter similitudinem vocabulorum δια — et ἀναθερμαίνεσθαι conicio. Sed tamen Callisthenes Chamaeleonte in narrando moderatior est. Sed ut fieri solet inter homines, quodque Luzacius verum esse multis probavit exemplis: narratio quum per hominum ora percurrit, augetur paullatim et amplificatur adeo, ut quae prior eius fuerit forma et sententia postea vix possit discerni. Quod si verum est quum in universo tum in singulari hac re, Callisthenem opinor et narratione et aetate praeiisse Chamaeleonti, neque oppugnabo, si qui Chamaeleontem Callisthene minorem neque Aristotelis ipsius auditorem fuisse recte inde coniecisse sibi videantur.

Quae omnia si accurate perpenderis atque veterum opiniones de natura poëtarum et de Bacchi eiusque cultus vi in hominum mentes cogitaveris, nil mirum videbitur, Aeschylum ebrium fabulas condidisse posterioris aetatis scriptores, vocabulo μεθύων perductos narrasse; quod ne de Aeschylo quidem solo finxerunt, Alcaeo enim et Aristophani eadem inusta est nota; sed in Anacreonte liquidius fluxisse narratiunculas credamus oportet. Quamvis enim ille πᾶσαν αὐτοῦ τὴν ποίησιν ἐξαρτήσας μέθης esset, Athenaeus tamen X, p. 429. b. plerosque ait nescire ὅτι νήφων ἐν τῷ γράφειν καὶ ἀγαθὸς ὢν προσποιεῖται μεθύειν οὐκ οὔσης ἀνάγκης, quin ipsum ἄποτον vocat, si Theod. Bergkio fides est, qui in Anacr. p. 18 ἄτοπος vocabulum ita emendavit. Quod autem in Aeschylo finxerunt veteres, idem nos si placeret invenire possemus ex Athen. XIV. p. 628. a. b. in Archilocho vel in Epicharmo.

Chamaeleon, quoniam in superioribus reliquiis Aeschylum vino deditum fuisse demonstravit, in vita eius, quam ex carminibus poëtae enarrare studeret, tribus sequentibus fabularum fragmentis Aeschylum carne suili libentissime vesci solere, exposuisse videtur. Habemus enim apud Athen. IX. p. 375. f.: Αἰσχύλος δέ φησιν 23.

Ἐγὼ δὲ χοῖρον καὶ μάλ᾽ εὐθηλούμενον
τὸν δ᾽ ἐν ῥοθοῦντι κριβάνῳ θήσω· τί γὰρ
ὄψον γένοιτ᾽ ἂν ἀνδρὶ τοῦδε βέλτερον;

καὶ πάλιν

Λευκός, τί δ᾽ οὐχί; καὶ καλῶς ἠφευμένος
ὁ χοῖρος· ἕψου, μηδὲ λυπήθης πυρί.

καὶ ἔτι

Θύσας δὲ χοῖρον τόνδε τῆς αὐτῆς ὑός,
ἣ πολλά μ᾽ ἐν δόμοισιν εἴργασται κακά,
δονοῦσα καὶ τρέπουσα τύρβ᾽ ἄνω κάτω.

ταῦτα δὲ παρέθετο Χαμαιλέων ἐν τῷ περὶ Αἰσχύλου.

Reliquias, quum nihil tragoediae gravitate digni in se habeant, ex Satyrica fabula depromptas esse arbitror, velut ex Circe vel ex Cerycibus, in quibus Eumaei partes fuisse verisimile est. Le-

guntur versus illi apud Schuetzium in Vol. V. p. 219. No. 319—321, apud Dindorfium in Poët. scen. fragm. p. 23. No. 309, apud Nauckium p. 76. n. 302—304.

XIII. Liber suasorius.

Unus tantummodo locus reperitur, ubi Chamaeleontis liber προτρεπτικός inscriptus legitur apud Athen. IV. p. 185. a. Titulus ille iis libris solebat praescribi velut Antisthenis (Diog. Laërt. VI. 1, 2 et 9.), in quibus auctor cum aliqua contentione et pugna contra adversarios virtutem aut suaderet studium aliquod exercendum, aut dissuaderet. Antisthenis igitur liber nullo tituli articulo omisso sic erat inscriptus: περὶ δικαιοσύνης καὶ ἀνδρείας προτρεπτικὸς πρῶτος, δεύτερος, τρίτος, περὶ Θεόγνιδος τέταρτος, πέμπτος; fuitque sine dubio orationis in modum conscriptus. Antisthenes enim Gorgiam audiverat, eiusque oratorium sermonem in suos dialogos, imprimis in librum, qui sexto eius voluminum insertus erat, de Veritate (Ἀλήθεια), et in λόγον προτρεπτικόν transtulerat, qui in secundum volumen receptus postea ab Athenaeo XIV. p. 656. f. (cf. Aug. Meinekii Hist. crit. p. 317.) et a Polluce VI, 98. voce βομβύλιος laudatus est. Sed saepius incidimus in eandem inscriptionem. In tabulas enim, quas Sotio et Panaetius de Aristippi voluminibus confecerunt, eius προτρεπτικόν vel, si, Antisthenis libro monitus, περὶ ἀρετῆς προτρεπτικόν legere mavis, illum librum sic inscriptum rettulerunt, qui idem alio nomine inter ea, quae Cyrenaici laudat volumina Diog. Laërt. II, 8, 6 quaerendus est. Is enim, qui quem ipse laudat in Pythagora VIII, 1, 19, libri περὶ φυσιολογιῶν oblitus est in catalogo, septem tantummodo titulos eosdem profert atque Sotio et Panaetius, Ἀρτάβαζον, Ναυαγόν, Φυγάδας, διατριβῶν ἕξ, quamvis de iis num genuini sint Sosicrates aliique dubitent, χρειῶν τρία, πρὸς Λαΐδα, πρὸς Πῶρον; fieri igitur potest, ut quinque reliqui libri, quos Sotio et Panaetius norant, in ceteris a Diogene laudatis lateant. Cleanthis quoque Diogeni Laërtio VII, 2, 7. enotuit προτρεπτικός, qui fortasse appositionis loco cum praecedente libro coniungendus est περὶ χάριτος προτρεπτικός. Sed de appositionali usu vocabuli προτρεπτικός, num is in omnibus locis admittendus sit, dubitari potest; extant enim loci, qui eum verborum nexum dissuadere videntur; sed levissima medela ii ita emendari possunt, ut sine offensione legantur. Sic inter Monimi volumina apud Diogenem Laërt. VI, 3, 3 est: γέγραφε δὲ παίγνια σπουδῇ λεληθυίᾳ μεμιγμένα καὶ περὶ ὁρμῶν δύο καὶ προτρεπτικόν, et in Epicuri scriptis (Diog. Laërt. X, 17) προτρεπτικός, cui in catalogo praecedit Προγνωστικόν. Inter Aristotelis libros est apud Diog. Laërt. V, 1, 12, 22. περὶ πλούτου ά προτρεπτικὸς ά et in Anonymi vita apud Menagium (in Huebneri Comment. I. p. 609) περὶ ψυχῆς· προτρεπτικὸν ά. In Theophrasti libris προτρεπτικὸς ά bis legitur; incidimus enim apud Diog. Laërt. V, 2, 13, 49 in πρὸς τοὺς ἐξ Ἀκαδημίας ά. Προτρεπτικὸς ά et 50. περὶ παιδείας ἢ περὶ ἀρετῶν ἢ περὶ σωφροσύνης ά. Προτρεπτικὸς ά., qui librorum inscriptiones Huebnerum adeo offenderunt, ut extremum illud προτρεπτικὸς ά uncis secluderet, quo errore quodam vocabulum illud in catalogum irrepsisse significaret. Facilius quidem esset illud καὶ aut ά, quod aut ante aut post προτρεπτικός vocabulum positum est delere, quo ex praecedente titulo suasoriae scriptionis argumentum assequereris. At legitur etiam προτρεπτικοί in plurali numero. Sic in quaestione, num virtus doceri possit, Posidonius laudatur in προτρεπτικοῖς (Diog. Laërt. VII, 1, 54), in quem librum iterum respicit Laërtius § 66. Quibus in locis tamen pluralis numerus minus offendit, quam inter Persaei volumina, qui apud Diog. Laërt. VII, 1, 31 leguntur προτρεπτικοί. Pluralis ille numerus, qui propter tacitum librorum numerum aliquid offensionis habet, fortasse in universos libros praecedentes aut certe in extremos referendus est ita, ut mutata interpunctione legatur: περὶ βασιλείας, πολιτεία Λακωνική, περὶ γάμου, περὶ ἀσεβείας, Θυέστης, περὶ ἐρώτων προτρεπτικοί. Aliis locis pluralis numerus cum librorum numero coniungitur, ut inter Aristonis Chii libros προτρεπτικῶν β' est apud Diog. Laërt VII, 2, 7.

Quum Chamaeleontis liber suasorius egerit de musica, inscribi potuit περὶ μουσικῆς προτρεπτικός. Num sic inscriptus fuerit, evinci nequit; ita tamen musicam tractavit Chamaeleon, ut quae musicae inesset vis in hominum mentes et mores anquireret, et, quum invenisset eam maximam esse

et optimam, musicae studium iis, qui bene moratos et esse et haberi se vellent, studiose commendaret. Argumentum illud Peripateticis acceptissimum erat. Quum enim Onesicrates in Plutarchi scriptiuncula de musica cp. 2 et 3 ex sodalibus quaereret: τίς πρῶτος ἐχρήσατο μουσικῇ; — καὶ τί εὗρε πρὸς αὔξησιν ταύτης ὁ χρόνος καὶ τίνες εὐδόκιμοι γεγόνασι τῶν τὴν μουσικὴν ἐπιστήμην μεταχειρισαμένων, ἀλλὰ μὴν καὶ εἰς πόσα καὶ εἰς τίνα χρήσιμον τὸ ἐπιτήδευμα; ad ea respondit Lysias: Παρὰ πολλοῖς ἐζητημένον πρόβλημα ἐπιζητεῖς· — τῶν τε γὰρ Πλατωνικῶν οἱ πλεῖστοι καὶ τῶν ἀπὸ τοῦ Περιπάτου φιλοσόφων οἱ ἄριστοι, περί τε τῆς ἀρχαίας μουσικῆς συντάξαι ἐσπούδασαν καὶ περὶ τῆς αὐτῇ γεγενημένης παραφθορᾶς. Huic argumenti partitioni, quam quum ab aliis tum a Platonicis et Pythagoreis observatam esse docemur, reliquiae, quas de suasoria illa scriptione superesse arbitror, facillime subornari possunt. Si igitur Chamaeleontem primo loco de origine musicae egisse statuendum est, huc referendum esse videtur illud Athenaei IX, p. 390. a., ubi Peripateticus cantus inventionem deduxit ab imitatione avium, quae in silvarum solitudine solam suam naturam sequentes cantui operam darent. Haec igitur scriptionis pars a Lysiae sermone non fuit aliena, qui apud Plutarchum εἰρηκὼς κατὰ δύναμιν περί τε τῆς πρώτης μουσικῆς καὶ τῶν πρώτων εὑρόντων αὐτὴν καὶ ὑπὸ τίνων κατὰ χρόνους ταῖς προσεξευρέσεσιν ηὔξηται, Sotericho reliqua persequi permitteret. Is igitur altero loco de eo egit, quod ἐχρήσαντο ait τῇ μουσικῇ οἱ παλαιοὶ κατὰ τὴν ἀξίαν, ὥσπερ καὶ τοῖς ἄλλοις ἐπιτηδεύμασι πᾶσιν. Idem argumentum Aristides Quintilianus in libro II. scriptionis suae de musica, ubi copiosissime de eo egit, his verbis amplexus est: πότερον δυνατὸν παιδεύειν διὰ μουσικῆς ἢ τοὐναντίον. (Arist. apud M. Meibom. II. p. 59.) Quod si Chamaeleontem quoque altero loco attigisse putandum est, ut exemplum afferret, quanti universae gentes musicam eiusque vim in mitigandos et excolendos hominum animos ad humanitatem aestimassent, Peripateticum de Lacedaemoniis, de Thebanis, de Heracleotis Ponticis dicere (Athen. IV. p. 184. d.), de musicorum instrumentorum vi in mores ad humanum cultum deducendos velut de lyra (Athen. XIII. p. 623. f.) agere, denique de modorum varietate eorumque vi (Athen. XIII. p. 600. f.) docere oportebat. Tractabat igitur argumentum Chamaeleon, quod iam inter suam cynicamque disciplinam multarum contentionum caussa et fons fuerat. De re musica enim uno Epicuro excepto (Diog. Laërt. X, 17.) non scripserunt nisi Socratici et Peripatetici, velut Simo (Diog. Laërt. II, 14, 2.), Simmias (II, 16), Antisthenes (VI, 1, 9.), Aristoteles (V, 1, 12.), Theophrastus (V, 2, 13.), Aristoxenus (Athen. XIV. p. 619 sq.), Heraclides (Diog. Laërt. V, 6, 4.). Cynicos vero Diogenes Laërt. VI, 9, 3. notat, quod παραιτοῦνται τὰ ἐγκύκλια μαθήματα et περιαιροῦσι δὲ καὶ μουσικήν, quod idem Diogenes Stoicus significasse videtur, qui eos μουσικῆς τε καὶ γεωμετρικῆς καὶ ἀστρολογίας καὶ τῶν τοιούτων ἀμελεῖν φησιν ὡς ἀχρήστων καὶ οὐκ ἀναγκαίων.

Iam vero quod ceteris reliquiis ex Chamaeleontis suasorio locum adiungo, qui est de labente re musica, ne in virorum doctorum reprehensionem incidam, paucis verbis praecavendum videtur. Atque quod eum Aug. Meinekius dicit in Hist. crit. I. p. 184 ab Athenaeo XIV. p. 628. d. ex Chamaeleontis libro περὶ κωμῳδίας allatum esse, in eo errasse videtur vir clarissimus. Nam Chamaeleontis liber, ex quo Athenaeus hauserat, non est significatus, quamvis et hyporchematis mentio et ratio, quae intercederet ei saltationi cum cordace (Athen. p. 630 sq.), et versus, qui laudantur Platonis comici, opinionem quodam modo firmare videantur, Athenaeum locum desumpsisse ex Chamaeleontis libro de comoedia, praesertim quum verba illa ὡς Χαμαιλέων φησίν nihil amplius, quam a Peripatetico Platonem comicum conditorem fabulae Σκευῶν habitum esse demonstrent. Quum igitur Aug. Meinekio certis argumentis occurrere nequeam, et coniectura item mihi opus sit quem ad modum viro illi doctissimo: universum Athenaei locum si quis consideraverit, et Chamaeleontis mentionem iniectam esse cogitaverit in exordio quaestionis, cuius argumentum pag. 628. b. propositum est: καὶ πρὸς γυμνασίαν δὲ καὶ ὀξύτητα διανοίας συμβάλλεται ἡ μουσική, non dubitabit, opinor, quin Chamaeleontis illas reliquias ad eam scriptionem mecum referat, quae musicam artem tironibus exercendam videtur commendasse.

24. Quas singulas temporum invidia servavit reliquias, hae sunt: Athen. IX, p. 390. a. Καλοῦνται δὲ οἱ πέρδικες ὑπ' ἐνίων κακκάβαι, ὡς καὶ ὑπ' Ἀλκμᾶνος λέγοντος οὕτως·

ἐπᾷδε δὲ καὶ μέλος Ἀλκμὰν
εὗρέ τε γλωσσάμενον κεκκαβίδων
ὦνυμα συνθέμενος.

σαφῶς ἐμφανίζων ὅτι παρὰ τῶν περδίκων ᾄδειν ἐμάνθανε· διὸ καὶ Χαμαιλέων ὁ Περιπατητικὸς ἔφη τὴν εὕρεσιν τῆς μουσικῆς τοῖς ἀρχαίοις ἐπινοηθῆναι ἀπὸ τῶν ἐν ταῖς ἐρημίαις ᾀδόντων ὀρνίθων· ὧν κατὰ μίμησιν λαθεῖν στάσιν τὴν μουσικήν.

Th. Bergkius in Alcm. rel. 43 scripsit ἐπῆγε pro ἐπᾷδε, utque scriberetur pro γλωσσάμενον suasit κλωσσαμενᾶν. Quamquam illa Alcmanis cum Chamaeleonte coniunctio iterata est ab Athen. XIII. p. 600 f., noli tamen de singulari quodam Chamaeleontis de Alcmane libro cogitare. Errant profecto qui ita iubeant; is enim nusquam extitit apud veteres; sed Alcmanis versus Chamaeleonti quasi argumento fuere, quo vera ea esse, quae in suasorio libello de musicae origine proferret, legentibus probaret.

25. Athen. IV, p. 184 d. Ἔμελε δὲ τοῖς πάλαι πᾶσιν Ἕλλησι μουσικῆς· διόπερ καὶ ἡ αὐλητικὴ περισπούδαστος ἦν. Χαμαιλέων γοῦν ὁ Ἡρακλεώτης ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Προτρεπτικῷ Λακεδαιμονίους φησὶ καὶ Θηβαίους πάντας αὐλεῖν μανθάνειν, Ἡρακλεώτας τε τοὺς ἐν τῷ πόντῳ καθ' ἑαυτὸν ἔτι, Ἀθηναίων τε τοὺς ἐπιφανεστάτους Καλλίαν τε τὸν Ἱππονίκου καὶ Κριτίαν τὸν Καλλαίσχρου.

Iisdem laudibus alii quoque viri, qui propter publica sua merita clari erant apud veteres, ab Athenaeo efferuntur; idem enim de Alcibiade Duris (cf. Hullemann de Dur. p. 179), de Epaminonda Aristoxenus narravit (cf. Mahne de Arist. p. 170).

26. Athen. XIII. p. 623 f. Κλεινίας γοῦν ὁ Πυθαγόρειος, ὡς Χαμαιλέων ὁ Ποντικὸς ἱστορεῖ, καὶ τῷ βίῳ καὶ τοῖς ἤθεσι διαφορῶν, εἴ ποτε συνέβαινε χαλεπαίνειν αὐτὸν δι' ὀργήν, ἀναλαμβάνων τὴν λύραν ἐκιθάριζε· πρὸς δὲ τοὺς ἐπιζητοῦντας τὴν αἰτίαν ἔλεγε „πραΰνομαι". Qui in compendiariam formam redegit Athen. scripsit pro τῷ βίῳ· τῇ γνώμῃ. De quo Chamaeleon narravit, Clinias ille una cum Archyta et Euryto Tarentinis et cum Echecrate Locrensi inter Platonis erat amicos. (Cf. Aristoxenum apud Diog. Laërt. IX, 40. Cliniae amicus Amyclas modo Pythagoreis, modo Platonicis accensetur. Beckmann de Pythag. relq. pag. 24, pag. 10. Not. 44.). De Clinia illo Tarentino copiosius egit Mahnius (de Arist. p. 89). Cliniae consuetudinem repetiit C. Gracchus, quem Plutarchus in Tib. Gr. II. narrat, quum in rostris furore quodam abripi se sentiret, puerum quendam musicae peritum iussisse animi perturbationes tibiae cantu sibi sedare.

27. Athen. XIII. p. 600 f. Ἀρχύτας δὲ ὁ ἁρμονικός, ὥς φησι Χαμαιλέων, Ἀλκμᾶνα γεγονέναι τῶν ἐρωτικῶν μελῶν ἡγεμόνα καὶ ἐκδοῦναι πρῶτον μέλος ἀκόλαστον ὄντα καὶ περὶ τὰς γυναῖκας καὶ τὴν τοιαύτην μοῦσαν εἰς τὰς διατριβάς· διὸ καὶ λέγειν ἔν τινι τῶν μελῶν

Ἔρος με δ' αὖτε Κύπριδος ἕκατι
γλυκὺς κατείβων καρδίαν ἰαίνει.

Cf. Th. Bergk. Poët. lyr. fr. 20. — Archytas harmonicus, quem auctorem suum adhibet Chamaeleon, sine dubio Pythagoreus est. Cf. Beckmann de Pythag. relq. pag. 19. Not. 96.

28. Athen. XIV. p. 628 d. Καὶ γὰρ ἐν ὀρχήσει καὶ πορείᾳ καλὸν μὲν εὐσχημοσύνη καὶ κόσμος, αἰσχρὸν δὲ ἀταξία καὶ τὸ φορτικόν· διὰ τοῦτο γὰρ καὶ ἐξ ἀρχῆς συνέταττον οἱ ποιηταὶ τοῖς ἐλευθέροις τὰς ὀρχήσεις καὶ ἐχρῶντο τοῖς σχήμασι σημείοις μόνον τῶν ᾀδομένων, τηροῦντες ἀεὶ τὸ εὐγενὲς καὶ ἀνδρῶδες ἐπ' αὐτῶν, ὅθεν καὶ ὑπορχήματα τὰ τοιαῦτα προσηγόρευον· εἰ δέ τις ἀμέτρως διαθείη τὴν σχηματοποιίαν καὶ ταῖς ᾠδαῖς ἐπιτυγχάνων μηδὲν λέγοι κατὰ τὴν ὄρχησιν, οὗτος δ' ἦν ἀδόκιμος· διὸ καὶ Ἀριστοφάνης ἢ Πλάτων ἐν ταῖς Σκευαῖς, ὡς Χαμαιλέων φησίν, εἴρηκεν οὕτως·

Ὥστ' εἴ τις ὀρχοῖτ' εὖ, θέαμ' ἦν· νῦν δὲ δρῶσιν οὐδέν,
ἀλλ' ὥσπερ ἀπόπληκτοι στάδην ἑστῶτες ὠρύονται·

ἦν γὰρ τὸ τῆς ὀρχήσεως γένος τῆς ἐν τοῖς χοροῖς εὔσχημον τότε καὶ μεγαλοπρεπὲς καὶ ὡςανεὶ τὰς ἐν τοῖς ὅπλοις κινήσεις ἀπομιμούμενον.

Supra iam dixi, quae caussa me moverit, ut hancce scriptionis partiunculam hic afferrem. — De Platonis fabula cf. Aug. Meinekium in hist. crit. p. 184 ingeniosissime, ut solet, disputantem. — De hyporchematis idem fere docemur a Luciano de Saltat. cp. 16. Ceterum universam apud Graecos saltationem mimicam fuisse saltantesque ad veritatis similitudinem vitam esse imitatos, inter omnes constat quum aliis ex locis tum ex Xenophontis Anabasi V, 9. et Convivio cp. 2 et 9, ubi saltatio, quae carminis cantum prosequebatur, gestibus vultuque historiae descriptionem expressit.

XIV. De ebrietate.

Eadem inscriptio atque Chamaeleontis libro περὶ μέθης indita est Antisthenis scriptiunculae cuidam (Diog. Laërt. VI, 1, 9.). Praeter eum de temulentia scripserunt praeeunte magistro ex Peripateticis Theophrastus, Chamaeleon, Hieronymus Rhodius, qui apud Athen. X. p. 424. f. in suo de temulentia libro, ubi de saltatione circa Deliaci Apollinis templum peracta narrat et XI. p. 499. f. (cf. X, p. 427. b.), ubi pro eo, quod in vulgari oratione est ebrium esse, vocabulo σκυθίσαι utitur, miro quodam modo cum Theophrasto consensisse videtur. Sed Aristotelem etiam περὶ μέθης librum condidisse ex Athenaeo quidem patet, quamquam inter Aristotelica apud Diogenem Laërtium nullus eiusdem tituli reperitur liber. Utrum hac in re de supposito quodam Aristotelis libro (Ammon. ad Categor. Arist.) cogitandum an in scriptorum tabulis alio eum latere titulo putandum sit, disceptari potest. Illo in libro Aristoteles, si eius est, de vini et cerevisiae vi egit quum in universos homines (Athen. I. p. 34. b. X. p. 447. a. b.) tum in singulos sexus aetatesque (X. p. 429. c. f. XI. p. 464 c.), inter pocula τὰ ῥυτὰ commemoravit (Athen. XI. p. 496. f.), et τραγήματα distinxit a τρωγαλίοις (XIV. p. 641. c.) Nec ita valde Theophrasti liber ab Aristotelico discrepuisse videtur, quum de eodem argumento eadem ratione ageret uterque. Sed cum Chamaeleontis quoque libro cognatio aliqua intercesserat Theophrasto, quod inde factum esse arbitror, quod et Theophrastus et Chamaeleon una ex disciplina processerunt, patrisque eius, Aristotelis, praecepta a Theophrasto recepta ab eo ad Chamaeleontem propagata sunt. Utriusque enim et Theophrasti et Chamaeleontis libros inter se cognatos fuisse, reliquiae demonstrant, quas Athen. XI. p. 461. a—e. p. 497. e. servavit ex libris eorum de temulentia. Idem uterque docuit de ῥυτῷ poculo. Atque quum ex Theophrasti libro maior reliquiarum numerus supersit, quam ex libro Chamaeleontis, ex illo potius quam ex hoc, quae fuerit argumenti tractatio, cognosci poterit; neque veritati absonum fore arbitror, si Chamaeleontem magistri vestigia et in partitione argumenti et in dictione pressisse iudico, quum eiusdem disciplinae quasi vinculo continerentur. Theophrastus igitur in libro suo quum in universum de vini egit vi tum ob salubritatem, si modice biberetur, usum eius commendavit; sed ne nimis potaretur, valetudinis caussa admonuit. De fabulosa vini origine Theophrastum in exordio egisse conicio ex Athen. XI. p. 465. b., tum vini vim copiosius exposuisse videtur propter Athen. XI. p. 463. c. (παραμυθεῖται γὰρ ὁ οἶνος καὶ τὴν τοῦ γήρως δυςθυμίαν), deinde varias vini temperationes tractavit, optimasque quas habuit, commendavit, qua in re ut ex heroum moribus, qui a poëtis in carminibus depingerentur, ita ex recentissima temporum memoria argumenta deprompsit. Itaque ad Homeri illud ζωρότερον δὲ κέραιρε Empedoclis versum (148. Sturz.) annexuit Theophrastus apud Athen. X. p. 423. f., et vini temperandi genera, quae fuissent apud heroas aut antiquissimae aetatis homines, ex poëtis docuit (Athen. XI. p. 782. b.); recentissimos mores respexit, legesque, quibus merum vetaretur, probavit apud Athen. X. p. 427. d. p. 429. a. b. XV. p. 693. c. Haud aliter Chamaeleontem argumentum tractasse statuendum est, nam quas Clemens Alexandrinus servavit reliquias de Zeleuco, eaedem leguntur apud Theophrastum; temulentiam vitari iussit Chamaeleon apud Athen. X. p. 427. b., nec a Theophrasto ita longe discessit apud Athen. XI.

p. 461. a—e. Ceterum quae de Alcaeo sunt apud Chamaeleontem, ea huc referenda esse censeo. (Cf. Athen. X. p. 430. a.)

29. Reliquias ex libro de temulentia servatas has habemus. Clem. Alexandr. Strom. 1. cp. 26. pag. 422. Pott. Χαμαιλέων τε ὁ Ἡρακλεώτης ἐν τῷ περὶ μέθης καὶ Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Λοκρῶν πολιτείᾳ Ζάλευκον τὸν Λοκρὸν παρὰ τῆς Ἀθηνᾶς τοὺς νόμους λαμβάνειν ἀπομνημονεύουσιν.

Veteres quum, quae impetu quasi quodam et ardore ab hominibus fierent, ex humana natura proficisci posse non arbitrarentur, sed, sicut in poëtis et cuiusvis generis artificibus fecerant, divina ope et praesidio ita homines agere crederent, ut ex ipsis insciis Dii quidam ingenii miracula perficerent: vel Minoem a Iove, Lycurgum ab Apolline, Numam ab Egeria nympha, Mosen a Deo ipso legibus condendis initiatos esse docuerunt (Clem. Alex. l. l.), vel Aeschylum aliosque poëtas a Baccho esse inflammatos putarunt (Athen. X. p. 429. a. cf. supra p. 34). Ita Zaleucus leges a Minerva accepit. Sed quid haec sibi voluerint in libro de temulentia si quis quaesierit, eum Athenaeum X. p. 429. a. respicere iubebimus: παρὰ δὲ Λοκροῖς τοῖς Ἐπιζεφυρίοις, εἴ τις ἄκρατον ἔπιε μὴ προστάξαντος ἰατροῦ θεραπείας ἕνεκα, θάνατος ἦν ἡ ζημία, Ζαλεύκου τὸν νόμον θέντος. Credibile igitur est, Chamaeleontem laudasse Zaleucum ob illam legem Locrensibus datam, eumque leges a Minerva accepisse, per eam opportunitatem docuisse.

30. Athen. X. p. 430. a. Ἐγὼ δ', inquit Democritus, ἐπεὶ παρεξέβην περὶ τῶν ἀρχαίων κράσεων διαλεγόμενος, ἐπαναλήψομαι τὸν λόγον τὰ ὑπὸ Ἀλκαίου τοῦ μελοποιοῦ λεχθέντα ἐπὶ νοῦν βαλλόμενος· φησὶ γάρ που οὗτος

Ἔγχεε κίρναις ἕνα καὶ δύο.

Ἐν τούτοις γάρ τινες αὐτὴν κρᾶσιν οἴονται λέγειν αὐτόν, ἀλλὰ σωφρονικὸν ὄντα καθ' ἕνα κύαθον ἄκρατον πίνειν καὶ πάλιν κατὰ δύο· τοῦτο δὲ ὁ Περιπατητικὸς Χαμαιλέων ἐνδέδεκται τῆς Ἀλκαίου φιλοινίας ἀπείρως ἔχων· κατὰ γὰρ πᾶσαν ὥραν καὶ περίστασιν πίνων ὁ ποιητὴς οὗτος εὑρίσκεται.

Quod ad probandum sequuntur ex Alcaei reliquiis quae apud Theod. Bergkium in Poët. lyr. numeris 34. 38. 45. 35. 20. 44 signatae sunt, post quas Athenaeus sic pergit: πῶς οὖν ἔμελλεν ὁ ἐπὶ τοσοῦτον φιλοπότης νηφάλιος εἶναι καὶ καθ' ἕνα καὶ δύο κυάθους πίνειν; αὐτὸ γοῦν τὸ ποιημάτιον, φησὶ Σέλευκος, ἀντιμαρτυρεῖ τοῖς οὕτως ἐκδεχομένοις. κ. λ. — Alcaei verba ἔγχεε — δύο deprompta sunt ex maiore ea particula, quae apud Th. Bergkium sub 41. apud Athen. X. p. 430. c. legitur (cf. Stange de Alc. p. 139 sq.). Iam Casaubonus iudicaverat, illud Chamaeleontis ex libro de temulentia ab Athenaeo depromptum esse. Nec immerito. Peripateticus enim eo loco, ubi moderationem et temperantiam in usu vini commendabat, poëtas testes citaverat, quam per occasionem Alcaeum eo modo interpretatus erat, quo non debebat, eiusque in versibus enarrandis explicationem adhibuerat, qua orationem potius obscurare et sophisticis quas vocant argutiis velare vellet, quam illustrare et expedire. Simplicitas enim interpretationi deest.

31. Athen. X. p. 427 b. Χαμαιλέων γοῦν ὁ Ἡρακλεώτης ἐν τῷ περὶ μέθης περὶ τούτων (τῶν Λακεδαιμονίων) οὕτως γράφει· Ἐπεὶ καὶ Κλεομένη τὸν Σπαρτιάτην φασὶν οἱ Λάκωνες μανῆναι διὰ τὸ Σκύθαις ὁμιλήσαντα μαθεῖν ἀκρατοποτεῖν· ὅθεν ὅταν βούλωνται πιεῖν ἀκρατέστερον „ἐπισκύθισον" λέγουσιν.

Chamaeleon auctoritatem et verba Herodoti VI, 84. secutus est, qui de Lacedaemoniis ἐπεὰν ζωρότερον βούλωνται πιέειν „ἐπισκύθισον" λέγουσι narraret. Eundem hunc locum repetiit Eustathius pag. 1398. 5. ad Odyss. α. 110.

32. Athen. XI. p. 461. a—e. ἄξιον δέ ἐστι ζητῆσαι εἰ οἱ ἀρχαῖοι μεγάλοις ἔπινον ποτηρίοις. — Χαμαιλέων δὲ ὁ Ἡρακλεώτης ἐν τῷ περὶ μέθης, εἴ γε τῆς φωνῆς μνημονεύω, φησίν· Εἰ δὲ οἱ ταῖς ἐξουσίαις χρώμενοι καὶ τῷ πλουτεῖν προτιμῶσι τὴν μέθην ταύτην, οὐδὲν θαυμαστόν· οὐχ ἔχοντες γὰρ ἑτέραν ἡδονὴν ταύτης καλλίω οὐδὲ μᾶλλον εὐχερῆ καταφεύγουσιν εἰκότως ἐπὶ τὸν οἶνον· ὅθεν δὴ καὶ τὰ μεγάλα τῶν ἐκπωμάτων ἐπιχώρια γέγονε τοῖς δυνάσταις· οὐδὲ γὰρ παλαιὸν οὐδὲ τοῦτό γέ ἐστι παρὰ τοῖς Ἕλλησιν, ἀλλὰ νεωστὶ εὑρέθη, πεμφθὲν ἐκ τῶν βαρβάρων· ἐκεῖνοι γὰρ ἀπεστερημένοι τῆς παιδείας ὁρμῶσιν

ἐπὶ τὸν πολὺν οἶνον καὶ πορίζονται τροφὰς περιέργους καὶ παντοίας· ἐν δὲ τοῖς περὶ τὴν Ἑλλάδα τόποις οὔτ' ἐν γραφαῖς οὔτ' ἐπὶ τῶν πρότερον εὑρήσομεν ποτήριον εὐμέγεθες εἰργασμένον, πλὴν τῶν ἐπὶ τοῖς ἡρωικοῖς· τὸ γὰρ ῥυτὸν ὀνομαζόμενον μόνοις τοῖς ἥρωσιν ἀπεδίδοσαν. ὃ καὶ δόξει τισὶν ἔχειν ἀπορίαν, εἰ μή τις ἄρα φήσειε, διὰ τὴν ὀξύτητα τῆς ἐπιφανείας τῶν δαιμόνων καταδειχθῆναι τοῦτο· χαλεποὺς γὰρ καὶ πλήκτας τοὺς ἥρωας νομίζουσι καὶ μᾶλλον νύκτωρ ἢ μεθ' ἡμέραν· ὅπως οὖν μὴ διὰ τὸν τρόπον, ἀλλὰ διὰ τὴν μέθην φαίνωνται τοιοῦτοι, δημιουργοῦσιν αὐτοὺς πίνοντας ἐκπώμασι μεγάλοις· καί μοι δοκοῦσι λέγειν οὐ κακῶς οἱ φάσκοντες τὸ μέγα ποτήριον φρέαρ ἀργυροῦν εἶναι." Ἐν τούτοις ἀγνοεῖν ἔοικεν ὁ Χαμαιλέων ὅτι οὐκ ἔστι μικρὸν τὸ παρ' Ὁμήρῳ διδόμενον τῷ Κύκλωπι ὑπ' Ὀδυσσέως κισσύβιον, οὐ γὰρ ἂν τρὶς πιὼν οὕτως κατηνέχθη ὑπὸ μέθης τηλικοῦτος ὤν.

Extrema illa Chamaeleontis verba repetit Athenaeus V. p. 192. a. ubi de Socrate: πίνει ἐξ ἀργυροῦ φρέατος, dicit, καλῶς γάρ τις τὰ μεγάλα ποτήρια οὕτως ὠνόμασε. Ad supra allata Casaubonus in margine adscripsit pag. 462 editionis suae: „Inepta, ridicula, futilis, puerilis haec mihi ratio videtur, ne dicam impia, quasi ad maleficia designanda ebrietate instigentur dii." Nemo convivarum, opinor, de hac Casauboni interpretatione cogitavit, neque arbitror equidem, iure offendi posse Peripatetici narratione, qui quam rudem feramque heroum aetatem, quamque omnem modum excedentes eorum mores sibi finxerint Graeci, non ignoret. Chamaeleon igitur Deorum religionem laedere minime volebat, sed, ea obstrictus quasi, quae apud Graecos vulgaris erat, de heroibus opinione, studebat victum iis affingere, qui stupendis eorum facinoribus par esset, insolitamque vivendi rationem iis attribuere, quae monstra illa et prodigia progigneret et proferret. Quod Ulpianus in Chamaeleonte vituperat aliud quiddam est. Vitio enim ei dat, quod, quum in Graecia pocula illa ampla, quae a barbaris demum donata essent, initio ignota fuisse dixerit, Cyclopem apud Homerum κισσυβίῳ uti (Odyss. ι. 346), quo ter exhausto ebrius esset factus, non respexisse videtur. Ex qua Homeri narratione effici, nisi putandum esset, aut vinum fuisse gravissimum aut Cyclopem, qui usque tum lacte satiari solitus esset, vino facilius obnoxium fuisse, Ulpianus censuit κισσύβιον amplissimum fuisse vas. Huic vero Ulpiani coniecturae repugnant quae Athen. XI. p. 476. f. de κισσυβίου forma et magnitudine attulit, quaeque ex Dionysii Samii paraphrasi (Διονύσιος ὁ Σάμιος ἐν τοῖς περὶ τοῦ κύκλου Athen. XI. p. 477, d. ἐν ἕκτῳ περὶ τοῦ Κύκλου p. 481. e.) sequuntur, quum scribit: καὶ αὐτὸν Ὀδυσσεὺς ὁρῶν ταῦτα ποιοῦντα πληρώσας τοῦ οἴνου κυμβίον δίδωσι πιεῖν; et quum Simaristus in Synonymis κύμβια reddiderit τὰ κοῖλα ποτήρια καὶ μικρά, neque ubi in Odyss. ξ, 78. π, 52. κισσυβίου mentio facta est, permagnum aliquod hoc nomine significetur vas, Ulpianus iniuste tamen Chamaeleontem reprehendisse videtur, etiamsi Didymus quidem φησὶν ἐπίμηκες εἶναι τὸ ποτήριον καὶ στενὸν τῷ σχήματι, παρόμοιον πλοίῳ, et Ulpianus (ap. Athen. XI. p. 481 e.) argumenta iterum profert: οὐκ ἔστι δὲ μικρὸν τὸ διδόμενον αὐτῷ κισσύβιον παρ' Ὁμήρῳ· οὐ γὰρ ἂν τρὶς πιών, μέγιστος ὢν τὸ σῶμα, ταχέως ἂν ὑπὸ τῆς μέθης κατηνέχθη. Nam neque apud Theocritum in Idyll. α, 27. κισσύβια ampla et permagna sunt vasa (cf. Heindorf. ad Theocr. l. l. O. Mueller. Archaeol. edit. II. p. 394 § 298. 1.), neque quae apud Muellerum in Arch. p. 660 § 416. 1. laudantur imagines poculum exhibent mira quadam magnitudine. Sed Ulpianus, si omnino tacuisset, ne ipse in vituperationem incideret, cavisset. Nam si vel de permagnis vasis Homerum dicere concedimus, tamen exempla illa, quae Ulpianus attulit, ad Chamaeleontem refutandum nihil valere videntur, quia et Ulixes et qui ex Il. λ. 632 arcessitus est, Nestor heroum aetati sunt accensendi, de qua quominus in quaestione de vasis cogitetur, ipse excepit Chamaeleon his verbis: πλὴν τῶν ἐπὶ τοῖς ἡρωικοῖς.

Quodsi Schweighaeuserus in Animadv. VI. p. 16 verba haec: οὔτ' ἐν γραφαῖς, οὔτ' ἐπὶ τῶν πρότερον interpretatus est: neque in picturis neque de priscis, et post alteram illud οὔτε lacunam esse putavit, in utraque ea re errasse videtur. Chamaeleonti enim hoc dicere in animo erat: ea, de quibus narraret, pocula neque in picturis extare nec re vera inter antiqua usquam in Graecia inveniri. Itaque contraposita sibi videntur: neque inter recentiores artifices quosdam ea finxisse

neque inter ea, quae antiquitus servata sunt, talia esse. Itaque verba illa ἐπὶ τῶν πρότερον explenda sunt ita, ut ex sequentibus subiungatur: ποτηρίων εἰργασμένων. Quae si vera sunt, falsus est Casaubonus quum interpretaretur: neque in scriptis neque illorum, qui nos antecesserunt, testimonio. Neque id Casaubono assentiendum est, quod dicit, hunc locum, quo Chamaeleon caussas protulisset, ex quibus dynastae et locupletes amplis poculis gauderent, aliquatenus explicari et illustrari simili quodam loco in Platonis Protagora. Illum enim non inveni; sed apud Chamaeleontem et apud Platonem in Prot. incidimus in rariorem vocis δημιουργεῖν usum, quem explicandum sibi esse fortasse censuit vir doctus. Ut propter hoc vocabulum Casaubonus in Platonis Protagoram respicere nos iuberet, si de voluptate quaereretur, quam ex vino caperent homines potentissimi, fieri profecto potuit, nisi forte credere mavis, Casaubonum cogitasse aut de Prot. I. p. 327, § 47, ubi ferorum agrestiumque mores Pherecratis Choro ex Ἀγρίοις depinguntur (Meinek. Hist. cr. p. 71 sq. et p. 79. Fragm. I. p. 254), aut de Prot. I. p. 347, § 91 sqq., ubi Socrates de vana agit divitum mente, qui non nisi corporis voluptatibus capiantur.

Iam unum restat quod observatione dignum videtur. In Chamaeleontis enim loco haec sunt: τὸ γὰρ ῥυτὸν ὀνομαζόμενον μόνοις τοῖς ἥρωσιν ἀπεδίδοσαν. Eadem verba profert Athen. XI. p. 497. e., quasi e Theophrasti sint libro: Θεόφραστος δὲ ἐν τῷ περὶ μέθης τὸ ῥυτόν φησιν ὀνομαζόμενον τοῖς ἥρωσι μόνοις ἀποδίδοσθαι. Utrum eo loco Athenaeus memoria lapsus sit, an ea verba vere in Theophrasti libro atque in Chamaeleontis de temulentia eadem fuerint, evinci nequit, neque id erit efficiendum, num veteres de auctore libri de temulentia aeque dubitaverint atque de libro περὶ ἡδονῆς, quem Athen. VIII. p. 347. e. Theophrasti vel Chamaeleontis fuisse scripsit. Sed de errore Athenaei libentissime credam.

XV. De Voluptate.

De voluptate variae graecorum philosophorum disciplinae varie disputarunt variaque qui ex iis profecti sunt praeceptores conscripserunt. Atque ut ab eo exordiar, quem vetustissimum sciam, iam inter Platonis volumina unum est, quod apud Diogenem Laërt. III, 35. Philebi nomine ἢ περὶ ἡδονῆς inscriptum est. Iure is liber in Platonicorum librorum catalogo inter eos numeratur, qui de honestate sunt et quid de bono malove senserint philosophi accurate explicant. Nam in sermone eo de finibus bonorum agitur, ad quos tanquam ad summas agendi rationes homines appetere oporteat, quibus animorum suorum cultura maxime cordi curaeque sit. Quoniam enim Philebus ἀγαθὸν εἶναι τὸ χαίρειν πᾶσι ζώοις καὶ τὴν ἡδονὴν καὶ τέρψιν contenderat, Protarchus, qui eius caussam susceperat agendam, a Socrate eo ductus est, primum ut voluptati soli vim non inesse fateretur, quae ad honestatem homines ferret, deinde ut a sola ratione vitam nostram gubernari non posse consentiret nisi voluptatis dolorisque accederet sensus. Summum bonum non exsistere nisi rationis voluptatisque coniunctione, quam tamen ita comparatam esse oporteret, ut haec illam non superaret, illa contra nihil admitteret, quod sanum salutareque esse corpori animove non iudicaret. — Post Platonem autem ex vetustioribus Academicis, quantum ex librorum titulis divinare licet, Speusippum et Xenocratem hisce quaestionibus occupatos invenimus, quorum ille librum περὶ ἡδονῆς α'. (Diog. Laërt. IV, 1. 11.) conscripsit, qui in catalogo medius inter libros de divitiis et de iustitia positus est, hic περὶ ἡδονῆς duobus libris (α'. β'.) egit, qui inter ethica scripta apud Diog. Laërt. IV, 2. 9. recensiti sunt: περὶ δικαιοσύνης α'., περὶ ἀρετῆς α'. β'., περὶ εἰδῶν α'., περὶ ἡδονῆς α'. β'., περὶ βίου α'., περὶ ἀνδρείας α'., περὶ τοῦ ἑνὸς α'. Quum vero ordo scriptionum, qui in catalogis apud Diogenem Laërt. in singulorum philosophorum vitis invenitur, non fortuitus sit aut librorum digestio temere suscepta, sed ratione quadam et consilio adornata maximamque partem Diogene vetustior ad Alexandrinorum aut Pergamenorum bibliothecas sit referenda: ex librorum locis, quibus in cata-

logo positi sunt, et ex vicinitate de argumento eorum quodammodo conici aliquid potest. Itaque de Xenocratis argumento non errabimus, si aliquid cognationis ei intercessisse coniciemus cum Platonis Philebo, praesertim quum, quae in proxima vicinitate exhibeantur, περὶ εἰδῶν et περὶ τοῦ ἑνός scripta profecta esse suspicemur ex Philebi quaestione (pag. 134 et 138): unde factum esset, ut quae notione suā et natura essent una, in generibus suis varia et ipsa sibi opposita apparerent (pag. 138: ἓν γὰρ δὴ τὰ πολλὰ εἶναι καὶ τὸ ἓν πολλά).

Tum inter Aristotelis libros post περὶ εὐγενείας α' singularis est περὶ ἡδονῆς (Diog. Laërt. V, 1. 12.), et inter Theophrasti (Diog. L. V, 2. 13.) περὶ ἡδονῆς ὡς Ἀριστοτέλης α'. Περὶ ἡδονῆς ἄλλο. Mira illa inscriptio ὡς Ἀριστοτέλης aliam in mentem revocat, quae est apud Diog. Laërt. V, 1. 12. 24. πολιτικῆς ἀκροάσεως ὡς ἡ Θεοφράστου α'—η'. Quod vero duos affert Diogenes libros de voluptate, id eam movet quaestionem, num Athenaeus quoque inter duo Theophrasti de voluptate scripta distinxerit. Quater enim laudat Athenaeus Theophrastum ex libro περὶ ἡδονῆς, quem eundem VI. p. 273. c. Chamaeleonti adscribere videtur. Iam vero qui est apud Athenaeum Θεοφράστου ἢ Χαμαιλέοντος περὶ ἡδονῆς liber, si idem esset atque Diogenis περὶ ἡδονῆς ἄλλο, duos locos (Athen. XII. p. 511. c. et 526. d.) desumptos esse ex libro illo περὶ ἡδονῆς ὡς Ἀριστοτέλης, duosque alteros, quum Chamaeleontis quoque nomine adscripto legerentur, ex libro περὶ ἡδονῆς ἄλλῳ prodiisse putandum esset. Sed de hac Athenaei distinctione vehementer dubito; ille enim nisi unam cognovisse non videtur scriptionem Theophrasti, et Diogenem Laërt. in errore fuisse arbitror, qui quum de duabus scriberet, alteram haberet, quam Theophrasti esse, in modum Aristotelis conscriptam, pro certo sciret, alteram, quia Chamaeleontis quoque nomine inscripta esset, eam ob caussam ab illa diversam fuisse falso crederet. Uno igitur illo et singulari Theophrastus libro, quantum ex reliquiis conicio, de voluptate egit, quae caperetur ex luxuria, et ἡδονὴν docuit nihil nisi corporis esse voluptatem, quod quidem exemplis magis fecit quam praeceptis. — Inter Stratonis Lampsaceni libros apud Diog. Laërt. V, 3. 4. iuxta librum περὶ αἰσθήσεως erat unus περὶ ἡδονῆς. Heraclidem Ponticum quoque de Voluptate scripsisse testatur Athen. XII. p. 512. a. et alibi. Num iure hoc titulo in laudando libro usus sit Athenaeus dubitari potest, nam Diog. Laërt. V, 6. 4., qui nullum inter eius volumina habeat περὶ ἡδονῆς, librorum catalogum hisce tamen claudit verbis: τούτων τὰ μὲν κωμικῶς πέπλακεν, ὡς τὸ περὶ ἡδονῆς καὶ περὶ σωφροσύνης, τὰ δὲ τραγικῶς κ. λ., quasi librum περὶ ἡδονῆς iam nominaverit. Itaque τὸ περὶ ἡδονῆς inter ea latet volumina, quae iam nominata sunt, idque volumen ibidem quaerendum esse suspicor, ubi illud περὶ σωφροσύνης legitur; atqui catalogi initio est: διάλογοι, ὧν ἠθικὰ μὲν περὶ δικαιοσύνης γ', ἓν δὲ περὶ σωφροσύνης, περί τε εὐσεβείας α', καὶ περὶ ἀνδρείας α'; non igitur dubito, quin quod est περὶ δικαιοσύνης idem volumen fuerit atque quod Athenaeus nuncupet περὶ ἡδονῆς. Reliquias enim si contuleris ex libro de Iustitia, de voluptate, quae ex luxuriosa et delicata vita capiatur, eum agere invenies (Athen. XII. p. 523. f. p. 521. e.). Si igitur eam ob caussam utramque inscriptionem uni eidemque libro inditam esse mecum statueris, credere te oportebit, vel Athenaeum, qui ipsum Heraclidis librum non viderit, in laudando eo auctoritatem aliorum scriptorum esse secutum, quorum alter περὶ δικαιοσύνης, alter nescio qua de caussa περὶ ἡδονῆς legisset titulum, vel, quod magis placebit, inter tres de Iustitia libros unum singulari inscriptione de Voluptate fuisse signatum.

Antisthenis deinde in octavo scriptorum volumine ultimum locum obtinuit liber περὶ ἡδονῆς, qui quemadmodum inter ethicas de Homero quaestiones pervenerit, equidem nescio (Diog. Laërt. VI, 1. 9.).

Stoici postea in hoc argumento non mediocri studio elaborabant, postquam Zeno id quod senserat praeclare enuntiavit: τέλος τὸ ὁμολογουμένως τῇ φύσει ζῆν, ὅπερ ἐστὶ κατ' ἀρετὴν ζῆν, ἄγει γὰρ πρὸς ταύτην ἡμᾶς ἡ φύσις (Diog. Laërt. VII, 1. 53.). Hanc eandem sententiam argumentis persecutus est Cleanthes in libro περὶ ἡδονῆς (VII, 5. 6.), et Dionysius Metathemenus in quattuor de

Voluptate libris, in quibus eam tanquam summum vitae finem proposuit (VII, 4, 1. et 5.). Cui Chrysippus adversatus est in suis libris (ἐν τοῖς) περὶ ἡδονῆς, ex quibus apud Diog. Laërt. VII, 7, 12 leguntur περὶ τοῦ καλοῦ καὶ ἡδονῆς, πρὸς Ἀριστοκρέοντα ι'. Ἀπόδειξις πρὸς τὸ μὴ εἶναι τὴν ἡδονὴν τέλος δ'. Ἀπόδειξις πρὸς τὸ μὴ εἶναι τὴν ἡδονὴν ἀγαθόν δ'.

Postremo inter Epicuri quoque scripta libri περὶ ἡδονῆς inveniuntur, quos Aristippi esse, ipsumque sibi Epicurum supposuisse calumniator ille Diotimus Stoicus narravit. (Cf. Diog. L. X. 3.) Falso atque iniuste id ab Diotimo enunciatum esse vel ex ea ratione cognosci potest, qua in libris de finibus bonorum Epicuri doctrinam tractat Cicero; sed cognationem aliquam inter nonnullas Epicuri et Aristippi scriptiones fuisse, credibile est; modo ne quis Aristippum singularem περὶ ἡδονῆς librum edidisse putet; illum enim non extitisse docet Diog. Laërt.

De universis illis, qui de Voluptate sunt, libris deque aliis cognati argumenti scriptis incorruptus et intellegens iudex est M. Tullius Cicero, qui quae sensit brevibus sententiis complexus est in libro de Fin. II. § 34. 35. Ibi numerum eorum, quos modo nominavimus scriptores de Voluptate librorum, auctum habemus, ignari tamen, qui librorum tituli fuerint. Auctores quos secutus sit philosophus Romanus, praeter supra laudatos ex Academicis affert Calliphontem, Carneadem, Polemonem, ex Peripateticis Hieronymum Rhodium, Diodorum, ex Stoicis Zenonem Cittieum, Aristonem Chium et praeter eos Pyrrhonem et Herillum Carthaginiensem, qui aetate et doctrina longe inter se diversi, quid praestiterint in philosophia vix e Ciceronis libro intellegere possumus.

Nunc vero, quoniam vidimus qui inter veteres quidque secuti rationis de Voluptate scripserint, ad eam transeamus quaestionem, quae est de iure, quo Chamaeleonti potius quam Theophrasto librum illum περὶ ἡδονῆς, qui utriusque philosophi nomina prae se ferat, adscribamus. Atque propter duplicem nominis inscriptionem facile quispiam librum a Theophrasto prodiisse iudicet, quod fecit Schneiderus, qui in V. p. 197 sq. reliquias huius quoque libri inter Theophrastea iure servavisse sibi videbatur. At in eo falsus est vir doctus, id quod ex ea ratione facile cognoscitur, qua Athenaeus librum illum laudavit. Scripsit enim VI. p. 273. c. ὡς ἱστορεῖ Χαμαιλέων ὁ Ποντικὸς ἐν τῷ περὶ ἡδονῆς, τὸ δ' αὐτὸ βιβλίον καὶ ὡς Θεοφράστου φέρεται, quibus verbis unum Chamaeleontem significavit auctorem. Unde autem duplex scriptoris nomen libro illi de Voluptate inscriptum sit, si quis quaerat, id aut inconsulto de errore aut de industria consultoque fieri potuisse respondebimus. Ac primum quidem, si inconsulto duplex nomen scriptioni inditum esse vis, antiquarius quidam in culpa est, qui iudicio suo deceptus vel declamationes, in umbra scholae egregii alicuius oratoris nomine conscriptas, vel litteras, quae exercendi caussa consignabantur, vel rhetorica praecepta et cuiusvis generis commentaria, quae in scholis ex praeceptoris ore calamo excipiebant discipuli, vel denique tironum scriptiunculas, quae ad exemplar lucubrationum magistri confectae erant, pro veris et genuinis clarissimorum virorum haberet libris. (Cf. Luzac. de digamia Socratis p. 151.) Si vero quod altero loco posui, duplicem scriptionis auctorem de industria consultoque titulo inscriptum fuisse censes, hoc animadvertere Te volo, apud veteres non inusitatum fuisse, ut scriptores quidam variis perducti caussis suos aequales simulatis nominibus fallerent. Neque enim discipuli solum praeceptoris aut tirones magistri nomen, quo plures libellus suus alliceret emptores, arrogare sibi potuerunt, sed etiam invidi homines et iniqui aliarum disciplinarum iudices adversariis suis libros affinxerunt, quibus bonam illorum existimationem plane everterent, suaeque disciplinae laudem malis artibus augerent. Utrum vero quempiam commoverit, ut aut errore deceptus aut de industria duplici auctore scriptionem aliquam donaret, id in plurimis caussis non erit discernendum. Alterutrum vero aut consilium aut errorem caussam fuisse, cur simulatis vel falsis auctoribus libri supponerentur, negari nequit. Universas Graecorum epistolas, philosophorum testamenta efficta esse iudico, itemque orationes singulas, quae modo Andocidi modo Isocrati adscribebantur (cf. Aristot. apud Dionys. Halic. Opp. et Sylb. p. 102. 14.). Ita ementitus est Polycrates Sophista orationem in Socratem. (Diog. L. II.

5, 18.) Nil igitur mirum, ab arte critica iam antiquis temporibus hosce ingenii lusus tanquam dubios et suspectos notatos esse; id quod factum est velut in lexicis rhetoricis addito illo εἰ γνήσιος, vel adiecto librorum titulis vocabulo ψευδεπίγραφον (ut in Chrysippi libris apud Diog. Laërt. VII, 7, 12.) vel pleniore adscripta censura (ut in Phaedonis scriptis apud Diog. Laërt. II, 9, 2.). At errore quodam hasce litteras falsis assignatas esse scriptoribus quominus arbitremur, nihil obstat. Alia vero de industria falsis subdita sunt auctoribus, sic Aristippo liber περὶ παλαιᾶς τρυφῆς (Luzac. p. 152.), sic Diotimo quae Epicuri nomine datae sunt epistolae; eas enim, quamvis aliter statuant Diog. Laërt. X, 3. et Athen. XIII. p. 611. b., non a Stoico illo proficisci potuisse docuit Luzac. p. 153; sic Philaenidi, quam purgat Aeschrio apud Athen. VIII. p. 335. c., libellus περὶ ποικίλων Ἀφροδισίων σχημάτων. Atque haec quoque commemorasse iuvat, Pythagoram quaedam Orpheo subdidisse, quod inter veteres Io poëta in Triagmis docuit (cf. me de Ione p. 80), et inter recentiores Lobeckius in Aglaophamo luculentissime exposuit. Quod a magistro discipuli didicisse videntur, quum sua scripta Pythagorae supponerent; sic enim narravit Iamblichus de vita Pyth. cp. XXIX. § 158 καὶ διὰ τοῦτο οὐδὲ ἑαυτῶν ἐπεφήμιζον αὐτὰ ἀλλ' εἰς Πυθαγόραν ἀνέφερον αὐτὰ ὡς ἐκείνου ὄντα, quibuscum consentiunt, quae apud Diog. Laërt. VIII, 1, 5. sunt, inter Pythagorea quae ferrentur, multa fuisse Lysidis Tarentini, alia Astonis Crotoniatae, alia Hippasi Pythagorei. At Aeschines Eretriensis Menedemo in suspicionem venit simulationis. Qui enim ferebantur Aeschinis sermones, Socratis esse, quos ille a Xanthippa, Socratis uxore, accepisset, Menedemus obtenderat. Qui sermones ἀκέφαλοι illi fuerunt, quos Pisistratus quoque Ephesius Aeschini abiudicandos esse propter genus dicendi et philosophiae doctrinam censuit; vim enim illam Socraticam, εὐτονίαν quam vocabat, in iis desiderabat Pisistratus, qui Aeschinem meliora proferre potuisse suspicabatur. Septem eius sermonum maiorem partem a Pasiphonte Eretriensi profectam esse, qui eos in catalogum librorum Aeschinis recepisset idemque esset atque ille, qui Antistheni nonnullos libros supposuisset, Persaeus docuit. Ne de Epicuro quidem tacent veteres. Eum enim eas epistolas conscripsisse nescio quis contendit, quae Chrysippi nomine circumferrentur; alii Epicuro conviciati sunt, quod Democriti et Aristippi quosdam libros, quasi ipse scripsisset, suo nomine edidisset. (Cf. Diog. Laërt. X, 3.) Aristippum quoque Sosicrates negavit sex libros διατριβῶν (Diog. Laërt. II, 8, 6.) scripsisse; de Anaximenis τριπολιτικῷ, quem ipse Theopompo subdidit, confer Pausan. VI. p. 496. et Voss. Hist. Gr. p. 64. Westerm., de Melampi libro περὶ τῆς παλμῶν μαντικῆς et de Apicio recte iudicavit Luzac. in Lect. Att. p. 157., de Heraclidis Pontici tragoediis, quas Thespidi adscripsit, deque eius Parthenopaeo, quam Sophocli subdidit fabulam, confer Diog. Laërt. V, 6, 7; extabat etiam apud veteres Ἡρακλείδης ἢ Φιλοστέφανος ἐν τῷ περὶ νήσων. (Harpocr. v. στρύμνη.)

Haec sufficiant exempla ad assiduam illam veterum scriptorum sedulitatem commonstrandam, quae effecerit, ut multa perversa et depravata in veteres litteras irrepserint. Sed ad industriam illam studiorum agitationem vel regum insano librorum studio perductos esse homines, e Galeno facile conicias, qui (in Hippocr. de N. H. I. Tom. V. p. 16, 50 Basil.) πρὶν γὰρ, inquit, τοὺς ἐν Ἀλεξανδρείᾳ τε καὶ Περγάμῳ γενέσθαι βασιλεῖς, ἐπὶ κτήσει παλαιῶν βιβλίων φιλοτιμηθέντας, οὐδέπω ψευδῶς ἐπεγέγραπτο σύγγραμμα· λαμβάνειν δ' ἀρξαμένων μισθὸν τῶν κομιζόντων αὐτοῖς συγγράμματα παλαιοῦ τινος, ἀνδρὸς οὕτως ἤδη πολλὰ ψευδῶς ἐπιγράφοντες ἐκόμιζον. Similia habes in Ammonii ad Aristot. Categ. loco, quem Menagius ad Diog. Laërt. vol. I. p. 615. Huebn. attulit: Πτολεμαῖον τὸν Φιλάδελφον πάνυ ἐσπουδακέναι φασὶ περὶ τὰ λοιπὰ καὶ χρήματα διδόναι τοῖς προσφέρουσιν αὐτῷ βίβλους τοῦ φιλοσόφου· ὅθεν τινὲς χρηματίσασθαι βουλόμενοι ἐπιγράφοντες συγγράμματα τῷ τοῦ φιλοσόφου ὀνόματι προσῆγον· ἀμέλει φασὶν ἐν τῇ μεγάλῃ βιβλιοθήκῃ εὑρῆσθαι Ἀναλυτικῶν μὲν τεσσαράκοντα βίβλους, κατηγοριῶν δὲ δύο· ἐκρίθη δὲ ἔκ τε τῶν νοημάτων καὶ τῆς φράσεως καὶ τῷ ἀεὶ ἐν ταῖς ἄλλαις πραγματείαις μεμνῆσθαι τούτου τοῦ βιβλίου τὸν φιλόσοφον.

Sed quid haec ad Chamaeleontem? Demonstrare ea arbitror, si de Chamaeleontis libro de Voluptate dubitabatur num vere Chamaeleontis esset, hoc alterutra de causa esse factum: aut quia

Chamaeleon ipse alieno nomine abusus est, aut quia antiquarius nescio qui fidem libri labefactavit, qui dicendi genere Theophrasteo deceptus ipsum Theophrastum appellavit scriptionis conditorem, quem praeceptorem Chamaeleontis fuisse supra nec immerito docuisse videmur. Similis enim coniunctio magistri discipulique est in ὑπομνήμασιν Ἀριστοτέλους ἢ Θεοφράστου (cf. me de hypomn. p. 11.) in libro περὶ νήσων Ἡρακλείδου ἢ Φιλοστεφάνου apud Harpocrat. v. στρύμνη; eandemque necessitatem suspicari possumus apud Diog. Laërt. II, 9, 2 in Μηδίῳ Φαίδωνος ἢ Αἰσχίνου ἢ Πολυαίνου, in σκυθικοῖς λόγοις Φαίδωνος ἢ Αἰσχίνου, in μεγάλῳ διακόσμῳ Δημοκρίτου ἢ Λευκίππου (Diog. Laërt. IX, 7, 13.), in μαγικῷ Ἀριστοτέλους ἢ Ἀντισθένους (Diog. Laërt. I, 1. Menag. ad Diog. Laërt. V. 35. Suid. v. Ἀντισθ.) Utra vero caussa valuerit in hoc de voluptate libro, cur duplex scriptoris nomen ei inditum sit, propter paucitatem reliquiarum discerni nequit.

Tria enim tantummodo fragmenta libri περὶ ἡδονῆς supersunt, si quidem quod habet Athen. XII. p. 511. c. d. φησὶν ἐν τῷ περὶ ἡδονῆς Θεόφραστος ad Chamaeleontem referendum est. Sed ea de re non dubitandum erit, quia et argumentum loci Chamaeleontis libro aptum videtur neque ullus Theophrasti liber de Voluptate hominibus litteratis cognitus est. Athenaeus igitur si erravit ideo errasse videtur, quia narratiunculam illam de Smindyride non ex genuino sed ex derivato quodam fonte hausit.

33. Athen. VI. p. 273. b. c. Σμινδυρίδης ὁ Συβαρίτης ἐπὶ τὸν Ἀγαρίστης τῆς Κλεισθένους θυγατρὸς ἐξορμῶν γάμον, ὑπὸ χλιδῆς καὶ τρυφῆς χιλίους συνεπήγετο οἰκέτας ἁλιεῖς καὶ ὀρνιθευτὰς καὶ μαγείρους· οὗτος δ' ὁ ἀνὴρ καὶ ἐνδείξασθαι βουλόμενος, ὡς εὐδαιμόνως ἔζη, ὡς ἱστορεῖ Χαμαιλέων ὁ Ποντικὸς ἐν τῷ περὶ ἡδονῆς, τὸ δ' αὐτὸ βιβλίον καὶ ὡς Θεοφράστου φέρεται, οὐκ ἔφη τὸν ἥλιον ἐτῶν εἴκοσιν οὔτ' ἀνατέλλοντα οὔτε δυόμενον ἑωρακέναι· καὶ τοῦτ' ἦν αὐτῷ μέγα καὶ θαυμαστὸν πρὸς εὐδαιμονίαν.

De Smindyride, qui inter procos fuerit Agaristae, Clisthenis Sicyonii filiae, narrat Herodotus VI, 127. ἀπὸ μὲν δὴ Ἰταλίης ἦλθε Σμινδυρίδης ὁ Ἱπποκράτεος, Συβαρίτης, ὃς ἐπὶ πλεῖστον δὴ χλιδῆς εἷς ἀνὴρ ἀπίκετο. In eundem incidimus Mindyridis nomine appellatum apud Diod. Sic. in Excerpt. de Virt. et Vit. p. 549. qui partim eadem partim alia de eo profert, ubi dicit: ἀναχθῆναι ἐκ Συβάρεως ἐν πεντηκοντόρῳ τοὺς ἐρέτας ἔχοντα ἰδίους οἰκέτας· ὧν εἶναι τοὺς μὲν ἁλιεῖς, τοὺς δὲ ὀρνιθοθήρας· παραγενόμενον δὲ εἰς Σικυῶνα ταῖς κατὰ τὴν οὐσίαν παρασκευαῖς οὐ μόνον τοὺς ἀντιμνηστεύσαντας ἀλλὰ καὶ τὸν τύραννον αὐτὸν ὑπερᾶραι καίπερ τῆς πόλεως αὐτῷ πάσης συμφιλοτιμουμένης· ἐν δὲ τῷ μετὰ τὴν ἄφιξιν δείπνῳ προσιόντος τινός, ὅπως κατακλιθῇ πρὸς αὐτόν, εἰπεῖν ὅτι κατὰ τὸ κήρυγμα πάρεστιν ἢ μετὰ τῆς γυναικὸς ἢ μόνος κατακλιθησόμενος. Extrema illa fortasse non putandum est ab eo profecta esse, sed sicut alia ita haec quoque ei afficta videntur. cf. Athen. XII. p. 541. b. c. VI. p. 273. b. c. Senec. de Ira II, 25. Est etiam apud Aelianum in Var. Histor. IX, 24 locus ubi tanquam homo delicatus et luxuriosus depingitur. Quomodo inter procos Agaristae sese gesserit, habes XII, 24: Σμινδυρίδην τὸν Συβαρίτην λέγουσιν ἐπὶ τοσοῦτον τρυφῆς ἐξοκεῖλαι ὡς εἰς Σικυῶνα αὐτὸν ἀφικέσθαι μνηστῆρα Ἀγαρίστης τῆς Κλεισθένους καὶ ἐπάγεσθαι χιλίους μὲν μαγείρους, τοσούτους δὲ ὀρνιθευτὰς καὶ ἁλιεῖς χιλίους, quo loco servorum numerum Athenaeo maiorem dedit Aelianus. Quod vero dixit Smindyrides se viginti per annos solem nec occidentem nec orientem vidisse, Casaubonus iam ex Suida contulit cum Timasii illo qui Theodosii aetate fuit. (Animadv. p. 294. f.) Atque idem summum duxit esse bonum ἔχειν ἑαυτῷ ὅτι βούλοιτο χρῆσθαι καὶ ἀδεῶς, διά τε μέθην νύκτα καὶ ἡμέραν οὐκ εἰδέναι, οὔτ' ἀνατέλλοντα καὶ δυόμενον τὸν ἥλιον καθορᾶν, ἴσα καὶ οὐρανῷ.

Chamaeleon luxuriosam Sybaritae vitam comparasse videtur cum simplici Aristidis. Utriusque vita variam attulit voluptatem, Smindyridae corporis, Aristidi vero sinceram et infucatam, quam ex recta conscientia sui factorumque suorum ceperat. Merito igitur Chamaeleontem integram voluptatem non quaesivisse credendum est in iis, quae sensibus placerent, sed in iis, quae cum honestate consentirent. Itaque Athen. XII. p. 511. c. d. narrat:

34. Οὐδεὶς δὲ λέγει τὸν Ἀριστείδου βίον ἡδὺν ἀλλὰ τὸν Σμινδυρίδου τοῦ Συβαρίτου καὶ τὸν Σαρδαναπάλλου, καίτοι κατάγε τὴν δόξαν, φησὶν ἐν τῷ περὶ ἡδονῆς Θεόφραστος, οὐχ ὁμοίως λαμπρός ἐστιν.

ἀλλ' οὐκ ἐτρύφησεν, ὥςπερ ἐκεῖνοι· οὐδὲ τὸν Ἀγησιλάου τοῦ Λακεδαιμονίων βασιλέως, ἀλλὰ μᾶλλον, εἰ ἔτυχε, τὸν Ἀνάνιος, οὕτως ἀοράτου κατὰ δόξαν ὄντος· οὐδὲ τὸν τῶν ἡμιθέων τῶν ἐπὶ Τροίας, ἀλλὰ πολλῷ μᾶλλον τῶν νῦν· καὶ τοῦτ' εἰκότως· ὁ μὲν γὰρ ἀκατάσκευος καὶ καθάπερ ἀνάρτυτος ἦν οὔτ' ἐπιμιξίας οὔσης οὔτε τῶν τεχνῶν διηκριβωμένων· ὁ δὲ πᾶσαν ἐξηρτυμένος πρὸς ῥᾳστώνην καὶ πρὸς ἀπόλαυσιν καὶ πρὸς τὰς ἄλλας διαγωγάς.

Rectam sui conscientiam quasi fontem verae esse voluptatis, ex eo quoque Chamaeleontis libri loco desumi poterit, qui est apud Athen. VIII. p. 348. e, nisi aequam in adversis rebus mentem laudatam esse potius conicies, qua vita beata esset contenta. Eam enim Aeschylus probavit, quum, ab adversario quodam in certamine superatus fabulas suas aequa mente Tempori Iustitiaeque sacras
esse iussisset et reliquisset. Φιλόσοφος δ' ἦν τῶν πάνυ ὁ Αἰσχύλος, ὃς καὶ ἡττηθεὶς ἀδίκως ποτέ, ὡς 35.
Θεόφραστος ἢ Χαμαιλέων ἐν τῷ περὶ ἡδονῆς εἴρηκεν, ἔφη, χρόνῳ τὰς τραγῳδίας ἀνατιθέναι, εἰδὼς ὅτι κομιεῖται τὴν προσήκουσαν τιμήν.

Aeschyleum illud respexisse videtur ad victoriam, quam Sophocles de eo reportaverat. Illam enim adeo Aeschyli iram movisse, ut indignabundus multas mitteret voces, testis erat Io Chius (cf. me de Ione Chio poëta p. 5.), constatque ex Plutarch. de aud. poët. X. de prof. in virtut. VIII., ex Stobaeo Flor. XIX, 89. p. 206, 50. Gaisf. Lips.

XVI. De Diis.

Theopompus quum dicit inter Graecos primum Pherecyden de Diis scripsisse (Diog. Laërt. 1, 116), de eius libro Θεογονία inscripto cogitat, quem non ex titulo sed ex argumento laudavit. (Cf. Sturz. de Pherec. ed. II. p. 28.) Libri vero, quibus περὶ θεῶν inditus est titulus posterioribus demum temporibus inveniuntur. Diogenes Laërtius in recensendis philosophorum libris inter Simonis Socratici σκυθικοὺς διαλόγους unum invenit περὶ θεῶν (II, 14, 2.), inter Speusippi volumina περὶ θεῶν α' (IV, 1, 11.), inter Xenocratis περὶ θεῶν α', β' (IV, 2, 9.); idem ex Peripateticis Theophrastum laudavit conditorem trium voluminum de Diis (V, 2, 13.), quae a duobus aliis libris aperte distinxit, ab uno ἐγκώμια θεῶν inscripto, et a sex τῆς τῶν περὶ τὸ θεῖον ἱστορίας; tum Strabonem Lampsacenum exhibuit auctorem trium de Diis librorum (V, 3, 4.), ex Stoicis deinde Cleanthem (VII, 5, 6.) et Chrysippum, cuius de Diis liber non minus undecim voluminibus continebatur (VII, 1, 72.). Posidonii librum de Diis laudavit Diog. Laërt. VII, 1, 72., cuius ibi primum, et VII, 1, 70., tertium decimum volumen attulit. Inter Epicuri quoque volumina unum est Χαιρέδημος ἢ περὶ θεῶν (Diog. Laërt. X, 17.). Recte conicere videtur, qui ex ordine, quem in Diogenis catalogis illi obtinent libri, de natura Deorum eos egisse suspicatur; quod eam ob caussam commemoro, quia sequentes Pherecydei libri rationem rerum quidam scriptores, quum de Diis scriberent, de Deorum gentibus et familiis vel de nominum eorum origine egerunt, quod Apollodorum Atheniensem, Dionysium Samium, Seleucum Alexandrinum, Octaviani aequalem, et fortasse ex posterioribus quosdam fecisse constat.

Chamaeleon iis adnumerandus est, qui naturam Deorum tractarunt; historica vero quaedam quae quaestioni immixta fuerunt, scriptori quippe Peripatetico condonanda sunt. Liber eius laudatur
apud Clementem Alexandrinum in Strom. 1, 14. p. 351. Pott. τὸ μὲν οὖν γνῶθι σαυτὸν οἱ μὲν Χίλωνος 36.
ὑπειλήφασι, Χαμαιλέων δὲ ἐν τῷ περὶ θεῶν Θαλοῦ, Ἀριστοτέλης δὲ τῆς Πυθίας. Idem in Bekkeri Anecd. I. p. 233, 15. Γνῶθι σαυτόν· ἀπόφθεγμα· οἱ δὲ (lege μὲν) Χείλωνός φασιν. Ἕρμιππος δὲ Δελφὸν εὐνοῦχόν φησιν εἰρηκέναι τὸ γνῶθι σαυτὸν καὶ ἐν τῷ ναῷ ἐπιγράψαι. Χαμαιλέων δὲ Θαλοῦ φησιν εἶναι τὴν γνώμην ταύτην. — Inter Chilonis dicta est γνῶθι σαυτόν in Arsenii Violet. p. 512, inter Thaletis p. 513: χαλεπὸν ἑαυτὸν γνῶναι. Hoc vero Chiloni tribuitur a Stobaeo in Floril. XXI, 13., quamvis Arsenii verbis inter proverbia reperiatur XXI, 12.; Thaletem auctorem illius γνῶθι σαυτόν exhibet Paroemiographus in Append. 1, 80. Leutsch.: ἐπὶ τῶν ὑπὲρ δύναμιν κομπαζόντων. Ἔστι δὲ ἀπόφθεγμα ἑνὸς τῶν

ἑπτὰ σοφῶν, ἤτοι Σόλωνος ἢ Θαλοῦ. Ceterum in tanta suffragiorum discrepantia plerique Chiloni dictum illud tribuerunt, quod docet Arsen. in Violet. p. 165. Γνῶθι σαυτόν. ἐπὶ τῶν ὑπὲρ δύναμιν κομπαζόντων· τὸ δὲ ἀπόφθεγμα Βίαντος· ὡς παροιμία δὲ λαμβάνεται· μαρτυρεῖ Θεόφραστος ἐν τῷ περὶ παροιμιῶν· οἱ πολλοὶ δὲ Χίλωνος εἶναι τὸ ἀπόφθεγμα· Κλέαρχος δὲ ὑπὸ τοῦ θεοῦ λεχθῆναι Χίλωνι Λακεδαιμονίῳ. Cf. Apostol. Cent. VI, 42. Diog. Laërt. 1, 40. et Menag. ad h. l., Diodor. Excerpt. Vat. p. 19.

XVII. Incertae sedis reliquiae.

Nunc restat ut de duabus agamus reliquiis, quae unde desumtae sint prorsus ignoramus neque coniectura assequi possumus.

37. Diog. Laërt. III, 31, 46. Μαθηταὶ δ' αὐτοῦ (τοῦ Πλάτωνος) Σπεύσιππος Ἀθηναῖος κ. λ., ἔνιοι δὲ καὶ Θεόφραστον ἀκοῦσαί φασιν αὐτοῦ· καὶ Ὑπερίδην τὸν ῥήτορα Χαμαιλέων φησὶ καὶ Λυκοῦργον· ὁμοίως Πολέμων ἱστορεῖ. In interpungendo hoc loco erravit Prellerus (de Polem. p. 43), qui inter Polemonis reliquias haec reciperet: ὁμοίως Πολέμων ἱστορεῖ καὶ Δημοσθένην. Maiore vero distinctione opus est post ἱστορεῖ ita, ut Polemonem non credendum sit Demosthenem inter Platonis discipulos numerasse (quae erat Sabini sententia, quam is ex quarto μελετητικῆς ὕλης libro Menesistrati Thasii hausit), sed Hyperidem et Lycurgum, quod idem fecerat ante eum Chamaeleon. Ex quo fonte Chamaeleon hauserit, quum Lycurgum Platonis discipulum nominaret, non est difficile docere. Philiscus enim, qui Lycurgi aequalis, oratoris vitam conscripserat (Suid. v. Φίλισκος. Plut. vit. Lyc. init.), primus ea de Lycurgo narraverat; sic enim Olympiodorus ad Gorg.: ὅτι Φίλισκος ὁ ῥήτωρ γράφων τὸν τοῦ Λυκούργου βίον φησὶν, ὅτι μέγας γέγονε Λυκοῦργος καὶ πολλὰ κατώρθωσεν, ἃ οὐκ ἔστι δυνατὸν κατορθῶσαι, τὸν μὴ ἀκροασάμενον τῶν λόγων Πλάτωνος· ἦν δὲ καὶ ὁ Λυκοῦργος οὗτος ὁ ῥήτωρ ἀκροατὴς Πλάτωνος. Similia de Hyperide Pseudoplutarchus in vita eius: ἀκροατὴς δὲ Πλάτωνος γενόμενος τοῦ φιλοσόφου ἅμα Λυκούργῳ καὶ Ἰσοκράτους τοῦ ῥήτορος κ. λ. Nec dissentit Suidas v. Ὑπερείδης: μαθητεύσας ἅμα Λυκούργῳ καὶ Πλάτωνι τῷ φιλοσόφῳ Ἰσοκράτει τε τῷ ῥήτορι. Temporis rationem non obstare recte docuit Kiesslingius in libro, qui est de Hyperide.

38. Diog. Laërt. V, 6, 7. Φησὶ δ' Ἀριστόξενος ὁ μουσικὸς καὶ τραγῳδίας αὐτὸν (τὸν Ἡρακλείδην) ποιεῖν καὶ Θέσπιδος αὐτὰς ἐπιγράφειν· Χαμαιλέων τε τὰ παρ' ἑαυτοῦ φησι κλέψαντα αὐτὸν τὰ περὶ Ἡσιόδου καὶ Ὁμήρου γράψαι. De impudenti illo Heraclidis Pontici simulandi alienaque arrogandi studio recte iudicavit, furandique artem quo oportet nomine notavit Luzac., qui in Lect. Att. p. 150 ex adiectis illis, quibus ornatur, veteribus enim est μυθώδης, πλασματίας, παραδοξολόγος, iustam non modo adumbravit sed absolvit plane imaginem suspiciosissimae illius industriae. (Cf. Cic. de N. D. 1, 13.) Chamaeleontis accusatio fortasse locum habebat in prooemio scriptionis alicuius. Sed neque de illis poëtis solis conqueri debebat Chamaeleon; nam quae de Artemone illo per mulierum manus iactato is enarraverat, eadem Heraclides sibi adscivit ita, ut iustissime de iniuria sibi facta Chamaeleontem conquestum esse Ionsius de Script. histor. phil. I. c. 17 (p. 91. Frankf. a. 1609.) dixisse videatur.